SERIES IMPEDIMENTORUM MATRIMONII DIRIMENTIUM

JUXTA PRINCIPIA
Theologiæ Moralis,
Et
Juris Pontificii

Ordinata, & divulgata

ANNO, QVO GLACIALIS HYEMS;
NIX AVXERAT VNDAS

A
P. F. Angelo Englmayr,
Ord. Min. S. P. Franciſci Strict. Obſerv.
Reformatæ Provinciæ Auſtriæ S. Bernardini
SS. Theologiæ Lectori Generali, & p. t.
Conventûs Egenburgenſis Guardiano.

EDITIO SECUNDA
Aucta appendice
De
Diſpenſatione ſuper impedimentis

Cum Permiſſu Superiorum & Privilegio.

Auguſt. Vind. & Græcii
Sumptibus Philip. Jacobi Veith, & Wolff. 1745.

Digitized by Google

Digitized by Google

REVERENDISSIMO,
ILLUSTRISSIMO,
AC
AMPLISSIMO
Domino Domino

FRANCISCO FERDINANDO

L. B. de Rumel,
Domino in Waldau, Pfrientz, & Ilſebach &c. &c.
Præpoſito Inſulato ad S. Andream in Hungaria, Canonico & Scolaſtico inſignis Eccleſiæ Collegiatæ B. M. Virginis Majoris Gloggoviæ in Sileſia,
Nec non
Cæſareæ Parœciæ Garſchenſis Parocho Vigilantiſſimo

Domino, ac Patrono
Gratioſiſſimo.

Digitized by Google

REVERENDISSIME, AC ILLUSTRISSIME DOMINE, DOMINE, Patrone Gratioſiſſime.

DUm impedimentorum matrimonii dirimentium Seriem, quæ primùm Annô M. D.CC. XXXVIII. publicam in lucem prodiit, ad publicum Orbis litterati, curatorum vel maximè commodum, denuò typis

Digitized by Google

typis ſubjicio, TIBI Præſul Reverendiſſime TUOque Illuſtriſſimo Nomini eandem jure meritiſſimo conſecratam, & dedicatam cupio; Sive enim Seriei hujus materiam, curatis omnibus adprimè utilem, neceſſariámque, ſive pervigilem TUAM ac indefeſſam ſuper commiſſo grege, Deíque rebus curam, laborem, & ſtudium, cæteráſque ſingulares excelſi animi TUI dotes, ſive denique effuſam, quâ puſillum Patriarchæ S. P. N. FRANCISCI gregem hactenus beâſti, ac etiamnum beas, benevolentiam, tacitô mecum animô perpendam, undequaque infinita propè rationum pondera offendo, quæ, ut

Ampliſſima TUA auſpicia demiſſiſſimè implorare audeam, non modò hortantur, verùm etiam efficaciſſimè perſuadent. Et verò, ut ab ipſo Seriei hujus argumento initium ſumam, nemini profectò mirum videri debet, ſi editione hac ſecunda, paulò primâ auctiore, gratioſum TUUM ad paſtophorium ſecundis properare votis contendam; non mirum inquam; quæ etenim eſt totius hujus Seriei materies? niſi magni Sacramenti Matrimonii, quod ſine Parochi præſentia, decernente Sacra Tridentina Synodo, irritum eſt, ac nullum, impedimenta exquiſita, quorum notitia nuſpiam gratiùs inhabitat,

Digitized by Google

tat, ac in Curatorum ædibus, ſive Paſtorum, quos DEUS ipſe juxta cor ſuum dedit, qui zelum habentes legis, paſcerent oves ſuas ſcientiâ, & doctrinâ; Scientiâ, quantum ad verbum; doctrinâ, quantum ad exemplum. Ità mea de TE firmiſſima Sententia, Præſul Reverendiſſime; quippe, (vox TUI gregis eſt) paſtor es & verbô, & exemplô, & ſubſidiô: paſcis oves tuas verbô conſolationis: exemplô converſationis: ſubſidiô ſubventionis. Paſtor es vitæ graviſſimæ, diſcretionis magnæ, famæ laudabilis, privatíſque carens affectionibus, adeo, ut, quemadmo-

dum omnium amori pariter vivis, ac benevolentiæ, (ùt tuarummet ovium volat rumor) ità omnium oculos in amorem TUI prolectes, eſt neceſſe. Paſtor bonus es, non ſolùm nomine, verùm & actu, & paſtu: TIBI, & gregi: Sic zelus tuus ex dulcedine devotionis diligit Juſtitiam, ut etiam ex fervore æmulationis odio habeat iniquitatem. Paſtor nobilis es, cujus teſtem Principem orbis habuit Conſanguineum TUUM, Reverendiſſimum, ac Celſiſſimum S. R. I. Principem, DEI, & Apoſtolicæ Sedis Gratiâ Epiſcopum Viennenſem Franciſcum Ferdinandum ex Baronibus de Rumel, cujus

Lau-

Digitized by Google

Laudes omnibus numeris abſol-vêre longæva, & diuturna ætas, Merita, & Nobilitas. Denique Nobilis es, non tam claritate generis TUI perilluſtris, quàm virtute, utpote, qui nobilem animum non tam ab avitis majorum ceris, aut adſcititio externi ſplendoris fuco, quàm à virtute maximum ſuum ſortiri decus nôras, & ornamentum: Magna reVera, & præCLara nobILItas, VbI ſangVIs, & VIrtVs fœDVs ſerVant. Nec digniore eges teſte meritorum, quàm virtute, ac ſapientia TUA, quarum ſplendore ità Majorum nomen illuſtrâſſe TUORUM, eámque gloriam collegiſſe videris,

 ut

ut nisì ab illis per Germaniam omnem Clariſſimis Laus TIBI ampliſſima adhæreret, primus imaginem jure æquiſſimo in Familiam intuliſſes, ex quo memorando temporum lapſu Sanguinem, vitam, nobilitatémque ſuſcepiſti. Quæ illuſtriſſima excelſi animi TUI decora, nè quid minùs dignitate TUA dixiſſe videar; officioſô magìs ſilentiô, ùt ipſa ſingularis TUA modeſtia jubet, quàm longiore encomio venerabor. Neque TU, cujus Religio, & Sapientia Spumeum omnem verborum ambitum, ac fuco mundialis eloquentiæ inflatis ſermonibus perornatum horret, exor-

Digitized by Google

nandus tantopere, quàm rogandus hoc loco es, Præſul Illuſtriſſime, ut ſeriem hanc impedimentorum Matrimonii dirimentium è ſecundo typo emergentem, TUIS unicè honoribus dedicatam, ſecundo digneris obtutu, eíque in gratioſæ benevolentiæ TUÆ laribus vel locum infimum, uti Authori ſuo hactenus faviſti, benigniſſimè indulgeas. In gratiarum vicem DEUM T. O. M. humillimè obſecrabo, ut Reverendiſſimam, ac Illuſtriſſimam Dominationem TUAM, ad Eccleſiarum, quibus ùt ſidus ful-

Digitized by Google

fulgentiſſimum præes, & Familiæ, quâ ſplendes, incrementum, quàm diutiſſimè ſervet incolumem, æternúmque beet.

Ita precor

REVERENDISSIMÆ
AC
ILLUSTRISSIMÆ
Dominationis TUÆ

Clientum minimus

P. F. Angelus Englmayr,
p. t. Guardianus.

Digitized by Google

OPuſculum, cui titulus *Series Impedimentorum* &c. â P. F. Angelo Englmayr SS. Theologiæ Lectore Generali Anno 1738. ſcriptum, â deputatis pro tunc PP. Lectoribus reviſum, approbatum, & divulgatum, ſecundò typis mandari poſſe concedo. Viennæ ad D. Hieronymum 28. Febr. 1740.

P. F. Marcus Kloz,
Miniſter Provincialis Auſtriæ.

Appro.

Digitized by Google

Approbatio Cenſoris.

TRactatus hic de impedimentis Matrimonii &c. nihil continet fidei orthodoxæ aut bonis moribus repugnans: & cùm eorum varias difficultates, in quarum enodatione doctorum hominum ingenia deſudarunt, perſpicua claritate, ſuccincta methodo, parique doctrinæ ſoliditate pertractet, dignus eſt luce publica, ut proſit iis, qui Sacræ, qui Civili jurisdictioni præſunt. Aug. Vind. 1. Auguſt. 1744.

Franc. Joſ. von Händl SS. Th. Lic. Rever. & Ser. Princ. & Epiſc. Aug. Conſil. Eccleſ. Maj. Pœnit. & Librorum Cenſor, nec non inſignis Eccleſiæ Colleg. ad S. Mauritium Can. & Parochus.

Error

Digitized by Google



Digitized by Google



Digitized by Google

ERROR.

IMpedimentum dirimens Matrimonii, quod dicitur *Error*, eſt ignorantia perverſæ diſpoſitionis, ſeu deceptio, quâ quis in præbendo conſenſum Matrimonii deceptus eſt, putans eſſe hanc determinatam perſonam, cùm ſit alia. Et ad propoſitum tripliciter contingere poteſt, nempe vel circa perſonam, vel circa qualitates perſonæ tum intrinſecas, puta, pulchritudinem, nobilitatem, honeſtatem, virginitatem, &c. tum extrinſecas, vid. divitias, &c. vel circa conditionem perſonæ, nimirum libertatem, vel ſervitutem, de quo in impedimento ſequenti; quia ſolùm duo primi ſpectant ad præſens impedimentum: Contingit autem primus error, dum quis contrahit matrimonium cum aliqua, quam putat eſſe hanc individuam perſonam, cùm ſit

alia: Secundus contingit, dum quis contrahit matrimonium cum aliqua, quam putat eſſe formoſam, cùm non ſit, virginem, cùm non ſit, nobilem, cùm non ſit, &c. divitem, cùm ſit pauper. Et horum errorum quilibet poteſt eſſe vel antecedens contractum, ſeu dans cauſam contractui, vel concomitans ſeu incidens, & non dans cauſam contractui. Error antecedens tunc eſt, quando eſt tota ratio, cur contraham, non contracturus, ſi ſcirem, ſic: intendo contrahere cum Titia, & de præſenti contraho cum Seja, quia puto eſſe Titiam, ita ut ſi ſcirem non eſſe Titiam, nulla modo contraherem; Error iſte eſt antecedens, & dans cauſam contractui, quia ſi interrogarer, cur de præſenti contraxerim cum Seja, reſpondeam ex errore me inducente id contigiſſe; ſi enim ſciviſſem non eſſe Titiam, ſed Sejam, non contraxiſſem: ſic cum proportione de qualitatibus diſcurre. Error concomitans ita ſe habet, ut contractus fieret, etiamſi non adeſſet iſte error; ſic: contraho cum Seja, quia puto eſſe Titiam; & ſum ita in animo conſtitutus, ut ſi noſſem non eſſe Titiam, ſed Sejam, adhuc cum Seja contraxiſſem: Error iſte eſt concomitans, quia ſi interrogarer,

Digitized by Google

rer, cur contraxerim cum Seja, reſponderem, quia putavi eſſe Titiam, & ſi ſciviſſem eſſe Sejam, adhuc cum illa contraxiſſem. Ecce! error iſte non eſt unica, ſola, & integra cauſa inducens ad contrahendum; quia etiamſi non adfuiſſet, adhuc cum Seja contraxiſſem: ſic circa qualitates proportionatè loquere. His præmiſſis

Certum eſt primò: quòd error circa perſonæ ſubſtantiam antecedens, jure naturæ dirimat matrimonium. Rationes ſunt iſtæ: tum quia matrimonium eſſentialiter fit ex conſenſu duorum: ſed in errore perſonæ non eſt conſenſus duorum; ergo &c. Min. probatur: nihil volitum, quin præcognitum; ſed qui errat circa perſonam, non præcognoſcit ipſam perſonam: ergo nec vult: ergo in errore perſonæ non eſt conſenſus duorum. Tum quia actus agentium non operantur, ultra eorum intentionem, L. *non omnis ff. de rebus creditis*: ſed qui contrahit matrimonium cum *Seja*, quia putavit eſſe *Titiam*, non intendit contrahere cum *Seja*: ergo actus contrahendi cum Seja nihil operatur, conſequenter &c.

Certum eſt ſecundò: quòd error circa ſubſtantiam perſonæ concomitans etiam jure naturæ dirimat matrimonium. Ratio hæc

eſt, quia de ſubſtantia contractûs matrimonialis eſt conſenſus præſens, ſeu actu exiſtens: ſed qui cum errore concomitante circa perſonam, contrahit, nullum de præſenti præbet conſenſum circa perſonam, cum qua contrahit, ſed ſolùm præberet, ſi ſciret eſſe talem perſonam, ergo non adeſt, ſed tantùm adeſſet conſenſus, quod non ſufficit ad contractum matrimonialem, in quo attenditur ad id, quod feciſti de præſenti, non verò, quod feciſſes, ſi noviſſes. Hinc, ſi contrahas de præſenti cum *Seja*, quia putas eſſe *Titiam*, & in ipſo contractu verè intendas contrahere cum perſona præſente, quæcunque illa ſit, validè contrahis matrimonium, quia adeſt verus conſenſus in perſonam præſentem: Nec prætendere poteris te ex errore concomitante contraxiſſe, in quo ſolùm attenditur, quod facturus eſſes, ſi noviſſes, non verò quòd de præſenti intendiſti, & feciſti, uti ſupponit caſus adjectus.

Certum eſt tertiò: *quòd error antecedens* verſans circa qualitates perſonæ tum intrinſecas, tum extrinſecas non dirimat matrimonium, *per ſe & regulariter loquendo.* Rationes ſunt iſtæ: tum quia ad valorem contractûs matrimonialis ſufficit, ſi non erretur,

tur in iis, quæ ſunt de ſubſtantia matrimonii; ſed in errore circa qualitates non erratur in iis, quæ ſunt de ſubſtantia matrimonii, ergo &c. Min. probatur: de ſubſtantia matrimonii ſunt ſolæ perſonæ, & corpora, qùæ mutuò traduntur, & acceptantur in ordine ad generationem; ſed in errore circa qualitates perſonæ non erratur circa ſubſtantiam perſonæ, & corpus talis perſonæ, ùt patet, ergo &c. Tum quia matrimonium ſubſtantialiter conſiſtit in conſenſu voluntario perſonæ cum perſona tali in individuo certò cognita, ad traditionem mutuam corporum in uſum generationis, ergo non poteſt infirmari, niſi in caſibus à jure vel Eccleſia decretis; ſed nullus Canon aut Definitio Eccleſiæ oſtendi poteſt ob defectum qualitatum infirmativus matrimonii, aliàs ſubſtantialiter ſubſiſtentis, ergo &c. Tum quia profeſſio religioſa valet, quamvis erretur circa qualitates talis Religionis (puta) duriorem victum, fratrum mores, rigorem Prælatorum, aliáque ſimilia accidentia, ergo etiam &c. Tum quia, qui emit agrum vel vineam, quam putat eſſe uberrimam, quamvis erraret in qualitate rerum, rem minùs fertilem emendo, non poteſt venditionem reſcin-

Digitized by Google

ſcindere, ſeu irritam reddere, ergo etiam, qui duxit uxorem meretricem, vel corruptam, quam putavit caſtam vel virginem, non poteſt eam dimittere, & aliam ducere. Tum tandem, quia, ſi error circa qualitates irritaret matrimonia, vix unquam ullum valeret, quod ſic oſtendo: quia vix ullum matrimonium eſt, in quo nubentes non putent ac deſiderent meliores qualitates & conditiones in ſponſis, quàm, quæ adſunt; quilibet enim poſſet prætendere ſe eſſe deceptum, ſicque irritare matrimonium; Proh! quanta familiarum, ſocietatúmque fidelium perturbatio! ergo &c. Dixi notanter *per ſe & regulariter loquendo*, quia per accidens error qualitatis aliquando dirimit matrimonium, & quidem Primò quando qualitas, circa quam erratur, deducitur in conditionem, ſeu per modum conditionis apponitur in contractu vel formaliter, vel virtualiter. *Formaliter* apponitur, quando contrahens, dum contrahit, actu expreſſo innititur qualitati apprehenſæ & æſtimatæ, ita, ut hac inducatur ad actualiter contrahendum, aliter non contracturus; ſic: ſi in ipſo contractu cum *Seja* apponas hanc conditionem: *duco te, ſi es nobilis, aliàs nolo, &c.* hac conditione deficiente, certè con-

contractus nullus eſt; quare? quia deficit conſenſus, deficiente conſenſu deficit contractus matrimonialis, ùt loquitur *Innocent. III. in cap. Tua nos.* ergo &c. Parùm autem refert, an talis conditio apertè ſignificetur, an verò mente retineatur, inſpici enim debet intentio operantis, ſeu contrahentis, juxta illud: actus agentium non operantur ultra eorum intentionem. *Virtualiter* apponitur conditio, quando in ipſo actuali contractu non habetur, nihilominus antea habita fuit, nec unquam revocata, ſic v.g. declarâſti te nolle ducere Sejam, niſi ſub conditione, ſi dives ſit; poſtea animo non mutato conſenſiſti in matrimonium cum Seja, quæ pauper eſt, matrimonium nullum eſt; quia cùm prior intentio non ſit revocata, ſed adhuc perſeveret, æquivalet conditioni actualiter poſitæ: Crede circa hoc Baſilio Pontio, qui *l. 4. c. 21. n. 13.* fatetur ſe propter hujusmodi virtualem intentionem non contrahendi, obtinuiſſe, ut matrimonium quoddam ex errore circa qualitatem nobilitatis pro nullo declararetur.

Secundò: error qualitatis per accidens dirimit matrimonium, quando involvit ſimul errorem perſonæ: ut autem ſcias errorem

rem qualitatis involvere ſimul errorem perſonæ has ſequentes cape regulas. Et

Regula prima eſt; tunc error qualitatis retundat in errorem perſonæ, quando quis intendit contrahere cum aliqua perſona, cujus notitiam purè acquiſivit per aliquam qualitatem, ſub cujus qualitatis conditione præciſè format conceptum alicujus determinatæ perſonæ in individuo, ſic v. g. vides à longè duas mulieres, & audis ex amico tuo, unam eſſe nobilem, alteram ignobilem; quô auditô dicis: volo contrahere cum illa, quæ eſt nobilis: poſtea verò in contractu offertur tibi altera ſeu ignobilis; matrimonium nullum eſt, quia tota intentio tua fuit ad illud individuum nobile, proinde non eſt præcisè Error qualitatis, ſed & perſonæ, per conſequens dirimit matrimonium. Sic etiam, ſi quis intendat contrahere cum primogenita, poſtea verò offeratur ei ſecundogenita, matrimonium nullum eſt.

Dix autem notanter: *cujus notitiam purè acquiſivit per qualitatem*, quia, ſi priùs jam nota fuit perſona illa v. g. jam noviſti hanc determinatam puellam Sejam, quoad perſonam, & hanc putas eſſe divitem, cùm tamen non ſit, ſeu proprio errore, ſeu aliunde

de deceptus, ſi contrahis cum hoc errore, valebit matrimonium: jam enim perſonam ducis, quam noviſti, & præcisè erras in qualitate, ergo &c.

Regula ſecunda eſt: ſi qualitatum narratio eò tendit, ut perſona aliàs incognita cognoſcatur, & qualitates naturæ communes non ſint, ſed ſingulares, individuationem perſonæ denotantes v. g. Titius fingeret ſe primogenitum Caji, cùm tamen non ſit, ſi puella ita decepta nuberet Titio, matrimonium nullum foret, quia iſta non eſt qualitas communis, ſed ſingularis, & certum individuum indicans; ſicque non eſſet præcisè error qualitatis, ſed etiam perſonæ.

Regula tertia eſt: ſi qualitas eſt finis matrimonii; ità ut matrimonium unicè, & præcisè eligatur tanquam medium ad finem illum obtinendum nempe qualitatem iſtam, quâ perſona, cum qua contrahitur, prædita eſſe judicatur, v. g. Titius nihil cogitans de matrimonio ineundo, & videns puellam, quam audit eſſe prænobilem, paratam nubere etiam non nobili pecunioſo, concipit animum ducendi uxorem, & quidem, unicè inductus amore affinitatis cum illuſtri familia talis puellæ prænobilis, qualem ſe dolosè ſemper mentitur: Titius con-

Digitized by Google

ceptum animum redegit ad opus, eámque ſibi in uxorem duxit: aſt reperiens ſe deceptum, matrimonium nullum eſſe vociferatur; & optimè, quia pro fine habuit affinitatem cum illuſtri proſapia; pro medio verò unico elegit matrimonium, alia enim via jungi non poterat illi prænobili ſanguini, ergo nihil eſt in puella iſta, quod Titius amâſſet, quàm nobilitatem, ſeu conjunctionem cum illuſtri familia; hæc autem non adfuit, ergo nihil amavit, aut elegit Titius in hac puella, ergo nullum matrimonium, quia nullus eſt contractus, in cujus materia nihil ametur, aut quidpiam eligatur. Ex quibus ſit reſolvendus ſequens

CASUS.

Titius è caſtris rediens, Viennam appulit, ubi aliquo tempore moratus, vidit Sejam perhoneſtam & opulentæ familiæ virginem, etiam Viennæ cujusdam negotii causâ ad tempus moratam, cui, captata ubique occaſione, aliquoties locutus eſt Titius, millenis obſequiorum generibus ei adblandiens, tandem etiam nuptias expetere auſus, quas ut conſequeretur, finxit ſe filium divitis mercatoris Pragenſis: addebat, bonâ parentum veniâ, pluribus abhinc annis ſe caſtra ſecutum, fortunâ tam ſibi propitiâ, ut inter belli

officia-

officiales gradum ſublimiorem conſcenderit. Patriam, parentes, divitias, & militarem dignitatem teſtabantur tum exhibita ſcheda baptiſmalis, tum quos ſecum hunc in finem adduxerat, comites; & è tribunis ipſum non poſtremum eſſe loquebantur inſuper tum elegans veſtium ornatus, tum ſtatura eminens, & ſpirans è facie Martius animus, quem amœno agendi lepore, ac comitate adeo noverat attemperare, ut Seja, accedentibus tot aſſeverationibus & teſtimoniis, de impoſtura nihil ſuſpicata, in nuptias conſenſerit. Sed miſera; paulo poſt, Caſtrenſi carnifici ſe infeliciter nupſiſſe eſt experta. Et reſolvendo

Dico: Matrimonium inter *Titium* & *Sejam* fuiſſe invalidum. Ratio: quia hic error non ſtetit ſolum in qualitate, redundavit in perſonam, & ex parte Sejæ cauſavit defectum conſensûs; quod oſtendo ex circumſtantiis: Virgo erat honeſtæ familiæ, & opulenta; morata eſt extra Patriam, de nuptiis nec quidem cogitans; acquiſivit poſtea notitiam Titii, nec ſtatim arſit cæco amore erga illum, neque præcipitanter conſenſit in nuptias, ſed poſtquam intellexit ex ipſo & teſtibus virum eſſe in dignitate militari conſtitutum filium mercatoris, cum quo etiam extra militiam vitam ſtatui ſuo convenientem victura eſſet, quod rurſus teſtabatur ſcheda fictitia baptiſmalis,

Digitized by Google

malis, & affirmabant ſubornati teſtes; tum quia potuit hujus familiæ habere aliquam notitiam, atque ita moveri ad conſenſum, quod cognoſceret hoc matrimonium ob mariti dignitatem ſibi ſuisque prolibus, ſi quas in eo generaret, honoratum & utile fore: tum quia dives ipſa nubens diviti meliùs provideret futuris hæredibus: Ergo Sejæ intentio ferebatur non in perſonam ſecundùm ſe, ſed quatenus ea erat affecta his qualitatibus, hæque ad iſtum finem, quem intendebat, futuræ eſſent medium, aliter nequaquam contractura, conſequenter cùm reperiſſet omnia contraria, actus ipſius cenſendus eſt involuntarius, & habitâ notitiâ redditur nullus.

Accedit pro datæ reſolutionis confirmatione, quod in caſu ſimili (in quo ſponſa ſubſtituto alienæ familiæ cognomine & parentibus à ſuis diverſis, quos nobiles eſſe mentiebatur ac divites, cùm procreata eſſet ex ignobilibus, perſona vilis & pauper) conſultus Auguſtinus Barboſa, pro invaliditate illius conjugii judicaverit, ut videre eſt apud ipſum in votis deciſivis *C. 2. voto 19. Num. 81.* ubi ob ſimiles fraudes, dolos, & errores intervenientes ac ſuſpectos teſtes in cauſa ſimili id ipſum à S. Rotà 11. Junii 1622. fuiſſe deciſum affirmat.

CON-

CONDITIO.

IMpedimentum dirimens matrimonii, quod dicitur *Conditio*, eſt ignorantia conditionis ſervilis ſeu deceptio, qua homo liber & ingenuus in præbendo conſenſum matrimonii deceptus eſt, putans ſe ducere perſonam liberam & ingenuam, cùm ſit ſerva & mancipium. Pro clara hujus impedimenti intelligentia

Sciendum primò: Libertatem ad propoſitum ſic definiri, quòd ſit *naturalis facultas ejus, quod cuique facere libet, niſi, ſi quid vi, aut jure prohibeatur.* Dicitur naturalis ejus: hoc eſt, poteſtas deſcendens ex ipſo jure naturæ, ſecundum quam omnes homines naſcuntur liberi. Dicitur ſecundò: quod cuique facere libet: ut denotetur, quod ille propriè & verè dicatur liber, qui poteſt facere, quod lubet, ac vivere ſicut vult. Dicitur tertiò: niſi, ſi quid vi, hoc eſt, vi juſta v. g. bellô juſto, non autem vi injuſtâ. Ratio hujus eſt, quia vis injuſta non tollit libertatem. Quod ſic oſtendo: ea, quæ ſunt facti, non tollunt ea, quæ ſunt juris; atqui libertas eſt juris, vis autem injuſta eſt facti: ergo vis injuſta non tollit libertatem; unde is, qui à latronibus captus eſt, libertatem non amittit, licèt hic

&

& nunc quoad actum ſecundum, ſeu exercitium tollatur. Dicitur denique: aut jure prohibeatur: quia illa, quæ de jure prohibentur fieri, nullus unquam velle præſumitur; ſolum enim hoc velle dicimur, quod jure poſſumus: *L. nepos 125. ff. de v. ſ.* Et hinc, etſi liber ſis, non tamen habes facultatem furandi, mæchandi, occidendi. Ex quibus colliges primò: illum dici liberum, qui gaudet mox deſcripta libertate. Colliges ſecundò: ingenuum eſſe illum, qui ſtatim, quando naſcitur, liber eſt ratione ventris, hoc eſt: qui natus eſt ex libera matre. *L. 5. §. 2. ff. de ſtat. homin.*

Sciendum ſecundò: ſervitutem veram & & proprie dictam ſic definiri, quòd ſit conſtitutio juris gentium, qua quis Dominio alieno contra naturam ſubjicitur: hoc eſt: ſervitus eſt quiddam jure gentium introductum & conſtitutum, non verò eſt juris naturalis; naturâ enim omnes homines liberi naſcuntur. Dicitur autem quâ quis dominio alieno &c. quia nemo ſibi ipſi ſervire aut proprius eſſe poteſt. *L. 26. ff. de Servit. præd. ruſt.* Dicitur ſecundò: contra naturam, hoc eſt, contra jus naturale permiſſivum, quo antè introductas ſervitutes omnes naſcebantur liberi. Ex quo colliges, illos dici verè & proprie

priè ſervos, qui tali affecti ſunt ſervitute; fiebántque antiquitùs tales, tum qui bellô juſtô ac publicè indicto, capti ſunt, & capientis dominio ſubjecti, & ſolebant appellari mancipia ſeu manu capti. Tum qui ex matre ſervilis conditionis prognati ſunt. Tum qui viginti annis Majores ſcientes, prudentésque ad participandum pretium ſe venundari paſſi ſunt. Et iſtorum ſervorum conditio olim miſerabilis fuit, quia quidquid acquirebant, Dominis acquirebant. Tum poterant pro libitu vendi, quin & impunè occidi à Dominis, quæ tamen exceſſiva poteſtas ex conſtitutione Antonini Imperatoris deinde imminuta fuit, & omnis aſperior caſtigatio dominis penitùs adempta, & permiſſa tantummodo moderata, cogebantúrque homini, ſi de illata ſervis injuria, & nimia ſævitia conſtitiſſet, eosdem aliis vendere. L. 2. ff. de his, qui ſui vel alieni juris ſunt. De hujusmodi ſervitute propriè dicta, cùm talem ætas noſtra vix amplius perfectè noſcat;

Dicendum breviter eſt primò: Matrimonium inter ſervos & ancillas validè & licitè contrahi, etiam inſciis & invitis Dominis. Ita paſſim tam Theologi, quàm Canoniſtæ omnes. Patet hoc manifeſtè ex c. 1. do cónjug. ſervor. Nec inter ſervos matrimonia debent

ulla-

ullatenus prohiberi, & ſi contradicentibus Dominis, & invitis contracta fuerint, nulla ratione ſunt propter hoc diſſolvenda. Et ratio hujus eſt; quia matrimonium eſt jure naturæ & divino conceſſum homini in remedium concupiſcentiæ, ut vitarentur fornicationes, & alia flagitia carnis, & ob bonum publicum ad propagationem generis humani, ergo hoc jus non poteſt ipſis ſervis negari aut auferri à ſuis Dominis; jus enim naturæ prævalet juri cujusvis individui. Tum, quia jus gentium, quod ſervitutem introduxit, non niſi ſalvo jure naturali & divino, poteſtatem in ſervum Domino dedit, ergo ſervi quoad hoc non ſunt ſubjecti Dominis;

Dicendum eſt ſecundò: Validum & licitum eſſe matrimonium, quod contrahit liber, ſive vir, ſive fæmina, cum ancilla vel ſervo: ſi hujus conditionem ſervilem non ignorat. Ita deciſum fuit à Zacharia Papa *Can. Si quis liber. 29. q. 2.* Et ratio eſt: quia ſcienter conſentiens vir ingenuus in ancillam, cedit volens juri ſuo; nec poteſt merito conqueri de aliqua ſibi facta injuria, cùm ſcienti & volenti nulla fiat injuria: Ergo validum eſt hujusmodi matrimonium, ſed etiam eſt licitum; quia nullus textus oſtendi poteſt, quo iſtud prohibeatur. Ubi ſciendum, quod li-

ber

Digitized by Google

ber ducens ancillam ſeu ſervam propriè dictam, licèt non peccet, fiat tamen irregularis *ex cap. Si quis viduam. diſt. 34.* quia vi talis conjugii inter viles & infames numeratur, eò quòd cum perſona vili tam arctum commercium contraxerit. His non obſtantibus

Dicendum eſt tertiò: nullum eſſe matrimonium liberi cum ſerva, vel liberæ cum ſervo, ignorata conditione ſervili, hoc eſt, ſi neſciat perſonam, cum qua contrahit, eſſe mancipium, ſed putet eſſe liberam. Ità communis. Et habetur expreſsè deciſum *in c. 2. 3. & ult. de conjug. Servor.* Et ratio eſt iſta; quia bona matrimonii ſunt tria, nempe: bonum Sacramenti, bonum fidei, & bonum prolis; atqui error conditionis ſervilis adverſatur his tribus bonis; ergo nullum eſt matrimonium, &c. Min. prob. Bono Sacramenti ac individuæ vitæ ſocietati & cohabitationi conjugum, adverſatur; quia ſervus debet in domo Domini habitare, & in illius ſervitiis detinetur; tum quia poteſt ab eo mitti in partes remotas, vendi &c. ergo &c. min. principalis prob. de bono fidei conjugalis, cui adverſatur; quia ſervus non poteſt pro libitu reddere debitum conjugi; ſed ſolùm quatenus Domini ſervitia id permittunt, poſtquam nempe ſatisfecerit obſequiis, in

Digitized by Google

quibus à Domino occupatur; ergo &c. min. principal. prob. etiam de bono prolis, cui adverſatur; quia ſervus non poteſt prolem commodè alere; nihil enim proprii habet, ſed quidquid acquirit, domino acquirit. Tum quia ſi liber contraxit matrimonium cum ſerva, proles ab eo non poterit commodè educari, cùm ad dominum ſpectet, cujus ſerva eſt mater, nam quoad conditionem ſervilem partus ſequitur ventrem ſeu conditionem matris. *L. Patrum c. de rei vindicat.* ergo &c.

Hinc error vel ignorantia ſervilis conditionis meritò agnoſcitur eſſe impedimentum matrimonii dirimens, quod probabilius ſolo jure Eccleſiaſtico introductum eſſe aſſero, hac ratione: quia ſi jure naturæ ſervitus obſtaret matrimonio, tunc non ſolùm ignorata, ſed etiam cognita redderet matrimonium irritum, & nullum; ſed ſervitus cognita non reddit matrimonium irritum & nullum, utì vidimus ſuprà ex dicend. 1. & 2. ergo non à jure naturæ, ſed ab Eccleſia inductum eſt hoc impedimentum; & hoc etiam ob nimiam contractûs inæqualitatem, ſiquidem illa perſona, quæ libera eſt, plenam ſui corporis poteſtatem concedit mancipio; at: quæ mancipium eſt, nequit viciſſim ſui corporis

abſo-

abſolutam poteſtatem tradere alteri, eò quòd ratione ſervitutis ſæpè impediatur, ne debitum conjugi volenti reddat, propter quam inæqualitatem ſtatûs præſumi nequit ſufficiens conſenſus in conjugium. Hæc de ſervis ſtrictè talibus.

Jam de ſervis noſtris temporibus, quos impropria vocis uſurpatione tales nominamus, quos aliàs etiam homines proprios vocamus, & in lingua noſtra vernacula Leib-eigene, qui, quia glebæ ſeu fundo colendo perpetuò adſcripti ſunt, adſcriptitii, & qui ex ipſis nati ſunt, ſervi originarii ſolent appellari. De his igitur reſolvendus ſequens

CASUS.

Niviana puella ruſticana, ſed ingenua nupſit Fabiano alterius pagi juveni. Poſt nuptias experitur Niviana hunc ſuum maritum ſervituie originaria obſtrictum eſſe Toparchæ illius pagi. Quare omnibus viribus proteſtatur contra matrimonium, dicens ſe utpotè liberam & ſui juris, fuiſſe deceptam, ac etiam nubere voluiſſe homini libero & ingenuo, qualis non eſt vir ſibi oblatus ſed mancipium, proinde contractum matrimonialem non ſubſiſtere. Et reſolvendo

Dico: Matrimonium inter Nivianam, & Fabianum ſervum originarium non obſtante

 igno-

ignorantia hujus conditionis, fuiſſe validum. Ratio eſt; quia Eccleſia non irritavit matrimonium ex cujuscunque conditionis errore vel ignorantia, ſed ſolius ſervilis propriè talis, ùt patet ex dictis *dicend. 3tio.* Atqui conditio Fabiani non eſt conditio ſervilis propriè talis, ergo licèt Niviana hanc ignorando contraxerit cum Fabiano, matrimonium ſubſiſtit. Tum quia ſervi adſcriptitii & originarii (qualis fuit Fabianus) ſunt verè liberi, non enim à dominis vendi poſſunt. Imò poſſidere poſſunt etiam propria bona, commercia exercere, & quæ lucrantur ſuo labore & induſtriâ, non domino, ſed ſibi lucrantur; nec repelluntur à legitimis actibus, puta, à ferendo teſtimonio, quamquam majore aliqua obligatione, quàm alteri ſubditi, ſuis dominis obſtricti ſint, & in hoc aliquam ſpeciem ſervitutis gerant, quod ſuis dominis perſonaliter obligentur ad certas operas & obſequia præſtanda, veluti ad colendos agros, vel prædia, ad arandum, ſerendum, triturandum, vehenda ligna, & ſimilia: item quòd non poſſint ſinè Domini voluntate poſſeſſiones deſerere, & à colendo fundo recedere, ac aliò commigrare, niſi, vel gratis obtineat hanc licentiam, vel perſoluto redemptionis pretio,

omni-

Digitized by Google

omnimodam libertatem conſequantur. Cùm igitur hæc ſubjectio nimiùm quantum differat à ſervitute propria, impedimentum erroris circa *Conditionem ſervilem* ad hanc impropriè dictam ſervitutem, qualis eſt originaria Fabiani extendendum non eſt, & conſequenter in cauſu noſtro querelæ Nivianæ, ſi alia pro nullitate ſui matrimonii non adducat, attendendæ non ſunt.

VOTUM.

IMpedimentum dirimens matrimonii, quod dicitur *Votum*, eſt inhabilitas, in ordine ad validè contrahendum matrimonium, orta ex promiſſione ſpontaneè, & deliberatè DEO facta de ſervanda caſtitate. *Pro cujus clariori intelligentia*

Sciendum, quantum ad præſens, *Votum* caſtitatis duplex eſſe: *ſimplex* & *ſolemne*. Votum caſtitatis *ſolemne* eſt, quod in religione ab Eccleſia approbata emittitur; vel ſacris Ordinibus Majoribus annexum eſt. *Simplex* verò, quod extra religionem, vel absque ſacris Ordinibus emittitur, ſeu, quod aliàs concipitur à quocunque pro libitu.

Et hoc, nimirùm votum ſimplex tantùm ponit impedimentum impediens, non verò dirimens matrimonii, hoc eſt: impedit qui-

hit cum ligato aliquo horum votorum: ratio: quia petit ab eo actum, quem licitè exercere non poteſt, cùm, qui adſtrictus eſt voto, non poſſit ſinè peccato innire connubium, *ut habetur in c. Nos novimus 12. q. 2. junctâ gloſſâ V. ſciens.*

Cæterùm hìc obſerves velim, quòd is, qui poſt votum ſimplex caſtitatis matrimonium contrahit, debitum conjugale ante obtentam diſpenſationem nunquam poſſit petere, ſed tantùm reddere. Quia, quatenùs à vovente obſervari poteſt, tenetur obſervare. Reddere autem tenetur, ne per ſuum votum alteri præjudicet. Secus eſt, ſi quis votum ingrediendi religionem, ſuſcipiendi ſacros ordines, vivendi in cælibatu emiſerit, & deſuper matrimonium contraxerit, talis enim & petere & reddere poteſt debitum conjugale, quia necdum caſtitatem actu promiſit. Ità Sanchez *L. 9. Diſput. 33. N. 9.* Engl. *de Clericis, qui voventes &c. N. 3.* Plura de voto ſimplici impræſentiarum texere, fori mei non eſt, qui ſolùm de impedimentis dirimentibus ago: quare

Certum eſt: Votum ſolemne caſtitatis per Profeſſionem in religione approbata emiſſum, impedimentum dirimens eſſe matrimonii contrahendi (utì & votum ſolemne

caſtitatis annexum ſuſceptioni ordinis ſacri) *ità deciſum eſt in Conc. Trid. Seſſ. 24. de Sacram. matrim. Can. 9 ſi quis dixerit Clericos in ſacris conſtitutos, vel Regulares caſtitatem ſolemniter profeſſos, poſſe matrimonium contrahere, contractúmque validum eſſe, non obſtante lege Eccleſiaſtica, vel voto anathema ſit.* Eandem vim dirimendi matrimonium poſteà contrahendum obtinent vota religionis ſimplicia, emiſſa poſt Novitiatûs biennium in Societate JEſu, & ab ejusdem coadjutoribus formatis, ex conſtitutione Gregorii XIII. quæ incipit: *aſcendente Domino* edita 5. *Calend. Junii* 1584. quâ Summus hic Pontifex ut religioni pluribus favoribus à ſe ornatæ conſuleret adversùs ſacrilegam deſertorum temeritatem, injurias, & impoſturas motu proprio, & ex plenitudine poteſtatis perſonas quascunque de ſocietate inhabiles reddit ad contrahendum matrimonium, quamdiu durat iſtud votum, & per dimiſſionem non ſolvitur.

Porrò, ut prædictam vim matrimonium conſequens dirimendi habeant vota religioſa, neceſſe eſt non ſolùm, ut ea emiſſa fuerint in Religione ùt tali à Sede Apoſtolica approbata; nec ſatis eſt, quòd modus vivendi duntaxat approbatus ſit; niſi tanquam vera religio ipſa congregatio, ſocietas, vel com-

communitas, &c. à Sede Pontificia agnita fuerit, & approbata; ſed inſuper quoque opus eſt, ut vota religioſa fuerint emiſſa validè; hinc, ſi quacunque ex cauſa nulla ſint, atque irrita, effectum nullum producunt, & matrimonium deinceps contrahendum non modò non dirimunt, ſed nec quidem impediunt; ratio hujus eſt, quia facta invalidè, perinde ſunt, ac ſi omninò facta non fuiſſent. *L. 4. §. condemnatum. ff. de Re judic.* ubi dicitur; *ex ſententia nullius momenti ſive invalidæ, non ſequi ullam condemnationem.*

Effectum autem, de quo hucusque locuti ſumus, communem habet cum voto caſtitatis, annexò SS. Ordinibus; in hoc verò differt ſolemnis in religione profeſſio, quòd matrimonium priùs initum quoque diſſolvat, quando id *ratum* tantummodò fuit, hoc eſt: per realem corporis uſum ſeu copulam carnalem inter conjuges nondum completum & conſummatum, quod non efficit ſuſceptio SS. Ordinum, ùt patebit infrà de impedimento matrimonii, quod eſt *Ordo.*

Dixi: quando id *ratum tantummodò &c.* quia matrimonium conſummatum, hoc eſt: accedente reali corporis uſu completum, & conſummatum, nec profeſſio religioſa diſſolvit. Ratio eſt: tum quia nullo jure conſtat.

Digitized by Google

Tum quia ſic habetur 27. *q* 2. *Can. ſi quis conjugatus*. Et hæc intelligenda ſunt non ſolùm dè matrimonio conſummato poſt bimeſtre, ſed etiam conſummato intra bimeſtre, quamvìs per vim fuerit conſummatum: quia conjuges per matrimonii conſummationem facti ſunt una caro, quæ non eſt ſeparanda, niſi per mortem alterius, juxta dictum Apoſtoli: *Mulier alligata eſt viro, quamdiu vir ejus vivit*.

Alia hìc moveri poteſt quæſtio, an etiam poſt conſumatum matrimonium liceat alterutri conjugi religionem ingredi, & in ea profiteri? & Reſp. licere & valere, ſi fiat cum conſenſu alterius conjugis: ſecùs dicendum, ſi fiat altero ignorante. Ratio: quia conjux non habet dominium ſui corporis: ergo non poteſt illud transferre in religionem cùm gravi injuria alterius conjugis: unde pars altera, quæ relicta eſt, poterit iterum revocare eum, qui ſic profeſſus eſt absque ſua licentia, ut ad ſæcula redeat, ſibique reſtituatur; quia nequit invita ſpoliari jure ſuo. Ab hac tamen regula generali excipe caſum, quo adeſt cauſa perpetui divortii; quoties enim è conjugibus alteruter facere poteſt propria authoritate perpetuum divortium, eo ipſo poteſt ingredi

etiam

Digitized by Google

etiam religionem, & in ea validè profiteri, altero conjuge invito remanente in ſæculo. Nam conjux innocens ob talem cauſam v.g. ob adulterium uxoris, etiamſi in ſæculo maneat, poteſt perpetuò abſtinere ab ejus conſortio: ergo ingredi quoque poteſt religionem. Sed neque tenetur redire revocatus ad conjugem, qui ſinè ejus licentia profeſſus eſt, ſi pars relicta intereà commiſit adulterium, namque per hoc jus revocandi amiſit *C. Veniens. de conv. conjug.* Dummodò de eo conſtet profeſſo: nam ſi occultum ſit, adhuc eum poterit revocare, cùm non cogatur ſe ipſam privare ſuo jure, usque dum alter delicti conſcius jure ſuo ipſam ſpoliet. *Sanch. L. diſp. 36. n. [illegible]. & alii.*

Nec verò ſatis eſt ad profitendum in religione, ut quis obtineat à conjuge licentiam hoc faciendi, ſed debet inſuper pars quoque altera religionem ingredi & profeſſionem emittere, quando eſt juvenis: nec extra periculum incontinentiæ videtur eſſe conſtituta. Ita ſtatuitur in *C. præterea, C. cùm ſit. C. uxoratus*: pluribúsque aliis: *de conv. conjug.* Quodſi autem qui relinquitur è conjugibus, ſenex ſit, & extra incontinentiæ periculum poſitus, permittitur illi in ſæculo permanere, dummodò in facie Eccleſiæ, id eſt: coram

ram Epiſcopo, & teſtibus perpetuam continentiam voveat. C. *ſignificavit, de conv. conjug.* His omnibus

Accedit pro reſolutione caſus mox ponendi, quæſtio, an poſſit Pontifex in voto caſtitatis ſolemni, quod eſt impedimentum dirimens, diſpenſare, ut licitè deinceps, atque validè contrahi nuptiæ queant? Pro cujus quæſtionis deciſione ſit reſolvendus ſequens

CASUS.

R*Amirus Sanctii Arragoniæ Regis filius, Monachus Ordinis S. Benedicti & Sacerdos, cùm patre defuncto fratres quoque Petrus, & Alphonſus ſinè liberis obiiſſent, turbationéſque graviſſimæ timerentur in regno, à populo evocatus è monaſterio, & in ſolio collocatus, obtenta diſpenſatione uxorem duxit Agnetem Comitis Pictavienſis ſororem, è qua etiam ſuſcepit filiam Petronillam, dictam deinde Urracam, quæ poſteà Raymundo Comiti Barcinonenſi nupta, regnum paternum hæreditate ſibi debitum, in ipſum tranſtulit.* Et reſolvendo

Dico: Ramirum licitè & validè contraxiſſe nuptias. Ratio: quia in voto ſolemni caſtitatis Pontifices ſæpiùs diſpensârunt? ergo potuit Summus Pontifex cum Ramiro diſpen-

diſpenſare, ut licitè & validè contraheret nuptias. Conſequentia patet, quia ab actu ad potentiam bona eſt argumentatio. Antecedens vero probatur. Tum quia teſte Suar. *Tom. 3. de Relig. L. 6. C. 10. N. 6.* Alexander III. conceſſit Nicolao Monacho Veneto ex familia Juſtinianorum, ut uxorem duceret ad familiam illam bello penè extinctam iterum excitandam. Tum quia Caſimirus Rex Poloniæ Monachus Cluniacenſis Ordinis S. Benedicti jam profeſſus ex diſpenſatione Summi Pontificis uxorem duxit. Tum quia Gregorius XIII. ad eundem finem diſpenſavit cum fratre Cardinalis Jojoſæ Galli Sacerdote profeſſo, & Provinciali Ordinis Capucinorum, ùt teſtatur Barboſa *in c. cùm ad Monaſterium. N. 13. in fin.* Tum quia ex communi omnium ſenſu Papa diſpenſare poteſt in votis ſimplicibus, ergo id ipſum poteſt etiam in votis ſolemnibus, cùm voti ſolemnitas ſolùm ex conſtitutione Eccleſiæ introducta ſit, hoc eſt: vota religioſa hoc tempore ſunt ſolemnia, non ideò præcisè, quia in religione eduntur, ſed quòd ex ſpeciali Eccleſiæ conſtitutione ità acceptentur, ut ſecluſa authoritate ſeu diſpenſatione ejusdem Eccleſiæ perpetua ſint, & irrevocabilia, atque voventem ad actus oppoſitos prorſus inha-

inhabilem reddant, in quo propriè conſiſtit votorum ſolemnitas. *ſubſumo*: atqui Summus Pontifex poteſt diſpenſare in quacunque Eccleſiaſtica conſtitutione: ergo etiam diſpenſare poteſt in voto ſolemni. *Ità docent Suar. Sanch. Palav. & Zor. Valentia. Emmanuel. Rodriq. Pirhing. Bellizarius, Rebellus, Baſilius, Pontius*, & innumeri alii. Nec obſtat authoritas D. Thom. 2. 2. *q. 88. a. 11. in c.* ubi dicit: *Non poſſe diſpenſare Papam in voto ſolemni.* Vult enim tantùm Doctor Angelicus, non poſſe diſpenſare cum Religioſo, manente Religioſo; quia illi eſſentialia ſunt tria vota ordinaria. Quod eſt veriſſimum; ſiquidem nulla authoritate Eccleſiæ, vel Pontificis fieri poteſt, ut profeſſus manens religioſus, in ſenſu compoſito ſtatûs religioſi, votis paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ non ſit adſtrictus, cùm iſta pertineant ad eſſentiam religionis, poteſt tamen ex juſta cauſa diſpenſare Pontifex, ut ex profeſſo fiat non profeſſus, ſive, ut deſinat eſſe religioſus, ac votis regularibus obſtrictus: diſſoluto autem ſtatu religioſo, poterit, qui fuit Monachus, jam deſervire negotiis ſæculi, uxorem ducere, & ſuis bonis pro libitu uti. Unde loquens D. Thomas in ſenſu diviſo 4. *diſt.* 38. *q. 1. artic.* 4. docet probabiliùs Papam poſſe

diſpen-

diſpenſare; nimirùm (quod communiter addunt Doctores) ex graviſſima neceſſitate ſeu cauſa urgentiſſima boni publici, ùt fuit in Ramiro noſtro.

COGNATIO.

IMpedimentum dirimens matrimonii, quod dicitur *Cognatio*, eſt inhabilitas certarum perſonarum in ordine ad validè contrahendum matrimonium orta ex cognationibus vel carnali, vel ſpirituali, vel legali. *Pro clariori harum intelligentia &* quidem primò agendo de *cognatione carnali*, quæ dicitur *Conſanguinitas.*

Sciendum primò : quòd *Conſanguinitas* ſit *vinculum perſonarum ab eodem propinquo ſtipite, ſeu principio per carnalem propagationem deſcendentium, contractum.* Explicativè ſic lege: dicitur *vinculum*: quia nempe vinculum ſeu conjunctio inter homines juxta Ariſtotelem 8. *Ethic.* C. *12.* eſt vinculum amicitiæ in quadam communicatione fundatum: atqui conſanguinitas eſt formaliter ipſa conjunctio in ejuſdem ſanguinis communicatione fundata: majori etenim affectu & neceſſitudine conſanguinei conjunguntur: ergo &c. Dicitur: *perſonarum*: ut excludantur bruta ab eodem ſtipite procedentia: non enim conjun-

junguntur ad unitatem amicitiæ, & hoc ob propagationem multorum ex uno parente proximo. Dicitur: *ab eodem, & quidem propinquo ſtipite, ſeu principio*: nè ſecus ab Adamo ceu ſtipite remoto deſcendentes ſimus conſanguinei: hac ratione addita fuit particula *propinquo*, cujus generationis gradus numerari & diſtingui poſſunt, cujúsque virtus in deſcendentibus perſeverat.

Tametſi autem virtus Adami in deſcendentibus perſeveret ſecundùm ſimilitudinem ſpecificam, ſcilicet humanitatem, non tamen perſeverat ſecundùm qualitates certæ perſonæ & familiæ proprias, ſeu ſecundùm ſimilitudinem individuam, juxta quam avus & parentes ſibi prolem aſſimilant, quæ eorum imaginem, complexionis & morum effigiem refert; virtus enim paterna, quo plures in generationes derivatur, eò debilior, ac imperfectior redditur, ut tandem cum illa conſanguinitas ipſa evaneſcat. Vera tamen & propria & conſanguinitas inter Chriſtum Dominum, & Virginem beatiſſimam, conceptioni Chriſti totum illud materiæ, quod verè naturales matres adminiſtrant, adminiſtrantem. Jam

Definita conſanguinitas eſt vel naturalis tantùm, ſcilicet: inter illos ab eodem ſtipite

pite per carnalem propagationem illicitam provenientes, vel naturalis, & civilis ſimul, nempe inter illos, qui ex legitimis nuptiis ab eodem ſtipite promanant. De his indefinitè

Sciendum ſecundò: quòd conſanguinitas potiſſimùm tribus conſtét: *linea, gradu, & ſtipite. Linea* eſt ſeries, ſeu collectio perſonarum ab eodem propinquo ſtipite deſcendentium poſteriores ab anterioribus diſtinguens. Et duplex eſt: *recta* & *obliqua*: ſeu *tranſverſa*, aut *collateralis*. *Recta* ea dicitur, in qua collocantur illæ perſonæ, quarum una ab altera originatur, veluti filius à Patre &c. & dividitur in *aſcendentium*, & *deſcendentium*, quæ licèt re ipſa ſit una eadémque linea, eâ tamen ratione diſtinguuntur, quòd *linea aſcendentium* dicatur, quâ à genitis ad progenitores rectà ſurſum proceditur, illorum ſtipitem quærimus, dum nempè rectà aſcendimus à perſona generata ad perſonam generantem, ùt à filio, & filia ad patrem & matrem, inde ad avum & aviam &c. *Linea deſcendentium* dicitur illa, quâ à progenitoribus rectà deorſum deſcendimus, ùt à patre vel matre ad filium vel filiam &c.

Linea collateralis, ſeu *tranſverſa*, aut *obliqua* eſt illa, in qua collocantur eæ perſonæ, quæ

C ab

Digitized by Google

ab uno quidem ſtipite mediatè vel immediatè proveniunt, ipſæ tamen perſonæ à ſe invicem non procedunt. Sic frater & ſoror conſtituunt inter ſe obliquam lineam; quia frater non deſcendit à ſorore ſua; viciſſim ſoror non deſcendit à fratre ſuo, ſed ambo immediatè à patre, velut ab uno ſtipite, ſeu communi eorum principio, communique ſanguine deſcendunt. Et ità de aliis diſcurre.

Linea hæc *collateralis* rurſum dividitur in *æqualem* & *inæqualem*: *æqualis* dicitur, quæ continet perſonas æqualiter à communi ſtipite diſtantes: v. g. duo fratres: duæ ſorores: frater & ſoror, quorum uterque uno tantùm gradu à communi ſtipite, nempe à patre diſtat: *Inæqualis* illa dicitur, in qua exiſtunt perſonæ inæquali gradu à communi ſtipite diſtantes, dum unus eorum remotior, alter eidem propinquior eſt: v. g. frater, & fratris filius: patruelis & patruus.

Stipes eſt perſona, à qua cæteræ perſonæ, de quarum conjunctione quæritur, deſcendunt, & originem ducunt. Sic pater & mater eſt communis ſtipes reſpectu filiorum: avus reſpectu nepotis, vel duorum patruelium, vel conſobrinorum: proavus reſpectu pronepotis &c.

Gradus

Digitized by Google

Gradus denique aliud non eſt, quàm intervallum, quò agnoſcitur, quæ perſona ſtipiti ſit propior; ſive, gradus eſt certa diſtantia unius perſonæ ab altera in eadem linea conſanguinitatis, quatenus plures, vel pauciores perſonæ ſunt, quibus pervenitur ad communem ſtipitem, à quo conſanguinitas, vel ejusdem ſanguinis origo derivatur.

Ut verò cognoſcatur, quo gradu conſanguinei ſe ſe contingant, aut quoto gradu inter ſe diſtent, triplex aurea ſolet aſſignari regula: una pro linea recta, altera pro linea collaterali æquali: alia tandem pro collaterali inæquali.

Regula prima: pro linea recta tam aſcendentium, quàm deſcendentium eſt hæc: *tot ſunt gradus, quot ſunt perſonæ, unâ demptâ.* Idque ſi ſcire velim, quoto gradu nepos diſtet ab avo, tunc enumero iſtas duas, & omnes alias intermedias perſonas, atque tot erunt gradus, quot perſonæ: unâ demptâ, manent duæ: ergo nepos diſtat ſecundo gradu ab avo. Ut res luculentior fiat, figuram accipe, ex quo colligere poſſis, quoto gradu ego diſtem ab abavo meo.

Abavus.
Proavus.
Avus.
Pater meus.
Ego.

En! quinque perſonæ prodeunt, ut ergo intelligere poſſis, quoto gradu ego diſtem ab abavo meo, deme ſtipitem, ſive unam perſonam, & remanebunt quatuor. Proinde ego quatuor gradibus diſto ab abavo meo; quia *tot ſunt gradus, quot ſunt perſonæ, unâ demptâ.* Aliud exemplum, quô patebit, quoto gradu diſtem à patre meo, pone

Pater meus.
Ego.

Ecce! ſunt duæ perſonæ, unâ demptâ, manet una, ergo uno gradu diſto à patre meo, quia *tot ſunt gradus, quot ſunt perſonæ, unâ demptâ.* Aliud exemplum, quô intelliges, quoto gradu diſtem ab atavo meo; pone

Atavus.
Abavus.
Proavus.
Avus.
Pater meus.
Ego.

Ecce! prodeunt ſex perſonæ, unâ demptâ remanent quinque, ergo quinto gradu diſto ab atavo meo.

Ea-

Digitized by Google

Eadem regula, quæ pro linea recta aſcendentium traditur, locum habet in linea deſcendentium, ùt ecce! quæritur, quoto gradu à me diſtet abnepos; pone

Ego.
Filius meus.
Nepos.
Pronepos.
Abnepos.

Ecce! ſiſtuntur quinque perſonæ, unâ demptâ, remanent quatuor; ergo abnepos meus diſtat à me quarto gradu: quia *tot ſunt gradus, quot perſonæ, unâ demptâ.* Aliud exemplum, quô patebit, quoto gradu meus pronepos diſtet ab avo meo.

Avus meus.
Pater meus.
Ego.
Filius meus.
Nepos.
Pronepos.

En! proſtant ſex perſonæ, unâ demptâ, remanent quinque: ergo avus meus diſtat à pronepote meo quinque gradibus: quia *tot ſunt gradus, quot perſonæ, unâ demptâ.*

Secunda Regula in linea collateralium æquali eſt talis: *quoto gradu diſtat uterque à communi ſtipite, eodem gradu diſtant inter ſe.* Unde, ſi quæ-

ſi quæras, quoto gradu diſtent duo fratres? ut hoc intelligatur, oportet ab illis perſonis, de quarum cognatione quæritur, numerando aſcendere usque ad illam perſonam, in qua conveniunt, ſive usque ad communem ſtipitem, utriusque perſonæ. Quod, ut clariùs reddatur, figuram cape:

Pater.

Frater unus — — Frater alter.

Ecce! ſtipes ſive perſona, in qua fratres conveniunt, eſt pater; aſcende ergo à fratre usque ad ſtipitem, & reperies, quòd uterque frater uno gradu diſtet à communi ſtipite: ergo etiam uno gradu ipſi fratres invicem diſtant; quia *quoto gradu diſtat uterque à communi ſtipite, eodem gradu diſtant inter ſe.*

Aliud exemplum, quô patebit, quoto gradu diſtet filius meus à filia ſororis meæ; pone:

Pater.

ego — — — — Soror mea.

Filius — — — Filia.

Ecce! ſtipes, ſive perſona, in quo ego & ſoror mea convenimus, eſt pater noſter. Aſcende ergo à filia ſororis meæ, & reperies, quòd illa duobus gradibus, ſicut filius meus à patre meo diſtet; ergo diſtant invicem duobus gradibus, quia *quoto gradu diſtat uterque à communi ſtipite, eodem gradu diſtant inter ſe.*

Aliud

Aliud exemplum, quod docebit, an duorum fratrum nepotes poſſint contrahere matrimonium. Figuram adſpice:

Pater.

Frater unus — Frater alter.
Filius ejus — — Filius ejus.
Nepos — — — Neptis.

Ecce! in poſita figura debeo primùm obſervare, & inquirere, quis ſit ſtipes, ſive in quo ambo fratres conveniant, qui utrique in patre, qui reſpectu nepotis & neptis eſt proavus, conveniunt. Hoc habitô incipio à viro, de cujus nuptiis quæritur, utì in dicto exemplo, eſt nepos; & aſcendo ſurſum per ſingulos gradus, proximum ſemper numerando, & notando, donec ad communem utriusque fratris patrem, ſive ſtipitem devenio: poſteà verò deſcendo deorſum eôdem prorsus modô, donec perveniam ad mulierem, de cujus conjunctione quæritur. Hõc factô ſtatim apparebit, utrum æqualiter à communi ſtipite diſtent, an inæqualiter; atque ità, cùm in dato exemplo æqualiter diſtent à communi ſtipite tribus gradibus, ideò etiam diſtant invicem tribus gradibus: *Quoto enim gradu diſtat uterque à communi ſtipite, eodem gradu diſtant intèr ſe.*

Digitized by Google

Aliud exemplum demonſtrans, me non poſſe ducere filiam amitæ meæ, quia mihi in ſecundo gradu juncta eſt. Ut ecce!

Avus.

Pater meus. — Amita ſive Patris ſoror.
.Ego. — -- Filia ejus.

Aliud: docens neptim meam non poſſe nubere nepoti patruelis mei, quia ſunt ſibi invicem in quarto gradu juncti. Ut ecce!

Avus.

Pater meus	—	Patruus, ſeu frater patris mei.
Ego —	—	Patruelis.
Filius meus	—	Filius ejus.
Neptis mea	—	Nepos ejus.

Caſus poſitæ figuræ talis eſt: meus pater habet fratrem, qui eſt meus patruus, ipſe habet filium, qui eſt meus patruelis, ſumus enim duorum fratrum filii, Iſte patruelis habet nepotem, & ego neptem. Hæc neptis non poteſt nubere patruelis mei nepoti, quia diſtant quarto gradu, juxta regulam: *Quoto gradu diſtant ambo à communi ſtipite, eodem gradu diſtant inter ſe.*

Aliud exemplum exhibens materteræ magnæ abneptem poſſe nubere nepoti meo, quia quinto gradu invicem diſtant. Ut ecce!

Proa-

Proavus.

Avia mea	—	Soror ejus ſive matertera magna.
Mater mea	—	Filius.
Ego —	—	Nepos.
Filius —	—	Pronepos.
Nepos ---	---	Abneptis.

Tertia Regula pro linea tranſverſa inæquali eſt hæc: *Quoto gradu diſtat remotior à communi ſtipite, eodem gradu diſtant inter ſe.* Ratio hujus regulæ eſt; quia, cùm propinquitas collateralium deſumatur, ſeu habeatur ratione communis ſtipitis, non poſſunt eſſe conjunctiores inter ſe, quàm ſint idem cum communi ſtipite; quo gradu igitur conjuncti ſint, deſumi debet ab eo, qui à communi ſtipite remotior eſt: nam, ſi deſumeretur, ex propinquiore, eſſent conjunctiores inter ſe, quàm cum communi ſtipite; ſic enim diſtans à communi ſtipite in ſecundo gradu, eſſet conjunctus etiam in ſecundo gradu cum eo, qui diſtat à communi ſtipite in quarto, quod dici nequit.

Oſtendo rem in exemplo: *Cajus* habet duos filios *Titium*, *&* *Sejum*: rursùs *Titius* habet filium ac nepotem: jam, ſi quæritur, in quoto gradu ſit nepos Titii cum Sejo? dicendum eſt, eſſe in tertio gradu, quia eo

gradu ſunt inter ſe, quô alter, qui magis remotus eſt, diſtat à communi ſtipite, id eſt Cajo, in quo conveniunt, & ſeſe invicem contingunt, atqui alter magis remotus, ſc. nepos Titii, diſtat â communi ſtipite tribus gradibus: ergo ſunt in tertio gradu inter ſe. Cape figuram hujus:

Cajus.
Titius. — — Sejus.
Filius.
Nepos.

Rursùs ſcire volo, quoto gradu fratris mei filia diſtet à me videre debeo, quoto gradu diſtet à ſtipite, ſive ab illa perſona, in qua ego & frater meus convenimus. Hoc habitô incipio à remotiori perſona numerando ſursùm. Ut ecce!

Pater.
Ego — — Frater meus.
Filia fratris mei.

En! filia fratris mei diſtat â patre, in quo ego & frater meus convenimus, duobus gradibus, ergo etiam diſtat â me duobus gradibus: quia *quoto gradu diſtat remotior à communi ſtipite, eodem gradu diſtant inter ſe.*

Aliud exemplum, quod oſtendet, an ego poſſim matrimonium contrahere cum nepte fra-

Digitized by Google

fratris mei, & Reſp. quod non; quia eſt mihi juncta in tertio gradu, pone:

Pater.
Ego — — Frater meus.
— Filius ejus.
— Neptis.

Ecce! neptis à patre meo diſtat tertio gradu, & eſt remotior: ergo etiam diſtat tertio gradu à me, quia *quoto gradu diſtat remotior à communi ſtipite, eodem gradu diſtant inter ſe.*

Aliud exemplum, in quo patefit, me non poſſe ducere filiam patruelis mei ob tertium gradum. Ut ecce!

Avus.
Pater — — Patruus.
Ego — — Filius, ſive patruelis meus.
Filia patruelis mei.

Ecce! pater meus, & ejus frater, qui eſt meus patruus, conveniunt in meo avo; atqui filia patruelis mei diſtat tertio gradu à meo avo; ergo etiam diſtat tertio gradu à me, quia *quoto gradu diſtat remotior &c.*

Igitur ſi quæras primò: an poſſim promaterteram ducere, ſive, an poſſim ducere meæ proaviæ ſororem? Reſp. negativè: quia eſt mihi in quarto gradu juncta, prout ſequens demonſtrabit figura. Interim, ut poſſim intelligere, quis ſit ſtipes in propoſito, debeo per-

perſonam quærere, in qua promatertera & proavia mea conveniunt; & patebit, quòd in abavo meo conveniant: habito itaque ſtipite, ab hoc deſcendo ex uno latere usque ad me, & ex altero latere aſcendo numerando gradus, deinde video, quis ſit remotior, & eo gradu, quô hic diſtat à ſtipite, eodem diſtat à me. En figura!

Abavus.

Proavia. ---- ---- Promatertera.
Avia.
Mater.
Ego.

Si quæras ſecundò: an nepos meus poſſit ducere patrui mei abneptem? Reſp. affirmativè; quia invicem diſtant quinto gradu: ùt ex adjecta figura patet:

Avus.

Pater meus ---- Patruus.
Ego ---- ---- Filius.
Filius meus ---- Nepos.
Nepos ---- ---- Pronepos.
Abneptis.

Si quæras tertiò: an ego poſſim ducere filiam abamitæ meæ? ſive filiam ſororis mei abavi? Reſp. affirmativè: ùt exhibet ſequens:

Ata-

Atavus.
Abavus ---- Abamita.
Proavus ---- Filia ejus.
Avus.
Pater.
Ego.

Ecce! ego diſto quinque gradibus à filia abamitæ meæ; ergo poſſum illam ducere; quia *quoto gradu diſtat remotior à communi ſtipite, eòdem gradu diſtant inter ſe.*

Adverte computationem graduum ſolùm procedere ſecundùm jus Canonicum, & quidem dum agitur de matrimonio; jus enim civile pro omnibus tribus lineis, *recta* ſcilicet, *collaterali æquali*, & collaterali *inæquali*, uni adhæret regulæ, nempe: *Tot ſunt gradus, quot perſonæ dempto ſtipite*: ſeu: *tot ſunt gradus, quot generationes.* Sic duo fratres ſunt in ſecundo gradu, quia una cùm ſtipite ſunt tres: unâ demptâ manent duæ; ergo ſunt in ſecundo gradu, ſeu: pater genuit filium A. Ecce una generatio! & genuit filium B. en altera generatio! ergo ſunt duæ generationes; ergo ſunt duo gradus: quia, *tot ſunt gradus, quot generationes.* Ratio diverſitatis inter utramque computationem Canonicam, & Civilem eſt: quòd computatio Canonica ſit inſtituta circa matrimonium, quod ſem-

per

Digitized by Google

per inter duas perſonas contrahitur, ſicque ſemper duæ perſonæ in eodem gradu collocantur: computatio civilis verò ſit inſtituta circa ſucceſſionem hæreditariam, quæ de perſona ad perſonam devolvitur. Hinc eſt, ut, quoties de hæreditate, vel actu alio præter matrimonium quæritur, computatio fiat ſecundùm jus civile, non tantùm in foro civili, ſed etiam canonico, & inter Clericos, teſte Covarr. *de matrim, pag. 2. c. 6. §. 6. n. 8.* Barbos. *c. ult. n. 4. hoc tit.* Itaque

Præcognitâ graduum & conſanguinitatis notitiâ certum eſt impedimentum hoc in linea æquali tum inæquali collateralium hodie usque ad quartum gradum incluſivè tantùm extendi. Deciſum in C. *non debet. de conſanguinitate, & affinitate.* Dixi: *in linea æquali, tum inæquali*, quia ex mente Doctoris ſubtilis *in 4. diſt. 40. q. un. §. de ſecundo dico*, & plurimorum, probabile eſt in linea recta jure naturæ quemlibet gradum dirimere matrimonium usque in infinitum. Dixi: *probabile*; quia, licèt certum ſit in primo gradu lineæ rectæ ſcilicet inter patrem, & filiam jure naturæ irritum eſſe matrimonium, conſequenter ab Eccleſia indiſpenſabile; probabile tamen eſt in ulterioribus gradibus, ſcilicet ſecundo, tertio, & quarto incluſivè

cluſivè jure tantùm poſitivo Eccleſiaſtico invalidum eſſe: ità Sanchez, Bonacina, Emanuel Sa, Baſilius Pontius, &c. Item: licèt matrimonium in primo conſanguinitatis gradu lineæ transverſæ initum inter fratrem, & ſororem, ſive ex utroque, ſive ex altero ſolùm parente jure naturæ ſit irritum, ùt communiter DD. inter collaterales tamen ſecundi, tertii, & quarti gradûs prohibitum ſolùm eſt jure humano poſitivo pontificio, conſequenter diſpenſabile.. Porrò,

Licèt in linea transverſali inæquali graduum computatio deſumatur à remotiore (ùt patet ex tertia regula) in diſpenſationibus tamen pro matrimoniis inter ejusmodi conſanguineos contrahendis ex diſpoſitione Summorum Pontificum maximè S. Pii V. explicari etiam debet gradus proximior ſtipiti: ſic v. g. ſi Paulus vellet ducere ſororis ſuæ filiam Annam, cum qua eſt in ſecundo gradu, quia Anna remotiùs diſtat à communi ſtipite, in quo convenit cum Paulo; non ſufficit in memoriali exprimere ſolùm ſecundum gradum, ſed etiam primum, quô Paulus diſtat à ſtipite, & dicere: Paulus primo gradu, in ſecundo conjunctus cum Anna petit diſpenſationem, & ſic de reliquis diſcurre. Ex quibus reſolvendus venit ſequens

Digitized by Google

quens ſingularis, non tamen metaphyſicus, ſed practicus

CASUS.

Petrus & Paulus duo condiſcipuli, in nullo prorsùs gradu conſanguinei, ut conſuetô feriarum autumnalium intervallô arcum tantiſper laxarent, domum conceſsêre: Quodam tempore, hauſtô liberaliùs merô, Petrus cum ſui condiſcipuli matre, nomine Claudia, nefariam ducens conſuetudinem, eandem impraegnavit, ex qua genuit filium, nomine Titium. Viciſſim Paulus eadem laborans lue, rem habens cum Petri ſui condiſcipuli matre, Pelagia nomine, ex ea genuit filiam, Sejam nominatam. Titius & Seja, ùt adoleſcentiam attigerunt, inter ſeſe inceperunt amare, atque de nuptiarum fœdere agere. Jam, an Titius & Seja validè contrahere poſſint, quæſtio eſt; & reſolvendo

Dico: Titius & Seja non poſſunt validè contrahere matrimonium. Ratio: quia inter Titium & Sejam reperitur cognatio naturalis ſive carnalis, aut ſanguinis, quæ dicitur *Conſanguinitas*: Ne autem caſus tibi nimiùm ſpeculativus videatur, ſic in forma exhibeo:

Petrus

Petrus.	Condiſcipuli	Paulus.
Mater,		Mater,
Pelagia,		Claudia,
Mater,		Mater,
Seja,		Titius,
Filia Pauli.		Filius Petri.

En! vides Titium eſſe fillum Petri, quia ab eo ex Claudia genitus eſt. En! vides Sejam eſſe filiam Pauli, quia ab eo ex Pelagia genita eſt. En! vides Titium eſſe fratrem Pauli, quia ab eadem matre Claudia Titius & Paulus nati. En! vides Sejam ſororem Petri, quia ab eadem matre Pelagia Petrus & Seja orti. Ergò Titius copulando ſibi Sejam, duceret in uxorem ſui patris ſororem, & filiam fratris ſui, nimirum Pauli. Ecce! conſanguinitas in ſecundo gradu juxta regulas datas, & quidem in linea collaterali inæquali. Iem Seja nubendo Titio, nuberet fratri patris ſui, & filio fratris ſui. Ecce! iterum ſecundus gradus conſanguinitatis in eadem linea. Hæc tibi lector clariſſime pro invaliditate matrimonii ſufficiant, ſi de hoc caſu particularia quæque deſideres, vide *Fel. Poteſt. examen confeſſariorum tom. 1. part. 4. de*

Sacramento matrimonii. c. 5. Et hæc de cognatione carnali, ſeu ſanguinis. *Pro cognatione ſpirituali*

Sciendum: quòd *cognatio ſpiritualis* ſit propinquitas orta ex baptiſmo & confirmatione. Iſta cognatio hodie tantùm dirimit matrimonium inter baptizantem, vel confirmantem, baptizatum, vel confirmatum, ac ejus parentes, nec non inter patrinum, baptizatum, vel confirmatum, ac ejus parentes. Ità *Conc. Trid. Seſſ. 24. C. 2. de reform. matrim.* Ut ecce! Titius baptizat Cajum & officio patrinorum fungitur Sempronius & Claudia. In hoc caſu Titius contrahit cognationem ſpiritualem cum Cajo & hujus parentibus: Sempronius verò & Claudia contrahunt cum Cajo baptizato, nec non cum ejus parentibus cognationem ſpiritualem. Ex quibus

Collige ſecundò pari ratione, ſi vir & fæmina ſimul infantem ex ſacro fonte levent, eos nullam inter ſe contrahere cognationem, ac propterea ſinè peccato aut impedimento uſûs matrimonialis maritum & uxorem poſſe ſimul ſuſcipere infantem. *Sanchez. L. 7. Diſp. 59. N. 5.* Et hoc jure novo Concilii Tridentini.

Collige tertiò nec inter baptizatum & filiam bapti-

baptizantis aut levantis ullam contrahi cognationem. Ratio: quia de his Concilium Tridentinum nullam mentionem facit. Nec cognatio contrahitur inter baptizantem & levantem, ex dicta ratione. Sed quid in praxi, ſi patrinus non ipſe levet, ſed ejus nomine procuratorem mittat? quis contrahit cognationem ſpiritualem? Reſp. juxta conſuetudinem & declarationem Cardinalium, contrahi ab ipſo principali. Ratio: quia, quod quis per alium facit, per ſe ipſum feciſſe intelligitur.

Hactenus dicta procedunt etiam in baptismo ex neceſſitate facto. Ratio: quia ubi eſt vera ſpiritualis generatio, eſt etiam ſpiritualis cognatio: ſed etiam in privato & in neceſſitate collato baptiſmate datur vera ſpiritualis generatio: ergò etiam vera cognatio, *paternitas* nempe, *compaternitas*, & *filiatio ſpiritualis*: quapropter jus quoque Eccleſiaſticum *in C. final de conſang. & affinit.* aliisque pluribus textibus ſemper indefinitè ac univerſaliter loquitur de vero baptiſmo, quin faciat ullam diſtinctionem inter baptiſmum ſolemnem & privatum, publicè vel in neceſſitate domi collatum; neque excipit ullum baptizantem, quiscunque ille ſit. Quare ſi quando Authores aliqui excipiunt maritum, qui

Digitized by Google

in neceſſitate baptizat conjugis ſuæ vel utriusque communem ſobolem, non volunt per hoc dicere, quod is cognationem ſpiritualem non contrahat, ſed quòd non contrahat hujus cognationis impedimentum, hoc eſt: contracta ſpiritualis cognatio nullum ponit impedimentum ac petendum debitum conjugale juxta C. *ad limina. 30. q. 1.* Ità decidit Joannes VIII. Ratio eſt: quia (ùt habet memoratus Pontifex) *inculpabile judicandum, quod neceſſitas intulit.* Tum quia æquum non eſt, ut qui à culpa immunis fuit, ſuæque ſatisfecit obligationi baptizans prolem, ne æternùm periret, hoc damnum ſentiat, ut ſibi interdicatur petitio debiti, cùm nemo jure ſuo debeat ſinè culpa privari, ùt dicitur *in C. diſcretionem. de eo, qui cognovit conſang. Sanchez. L. 7. de matrim. diſp. 62. N. 12. & L. 9. diſp. 26. N. 2.* Perez, Dicaſtillo, Bonac. &c.

Quantum ad cognationem legalem *ſciendum*, quòd ſit *vinculum civile*, ſeu *propinquitas perſonarum ex perfecta adoptione proveniens;* eſt autem *adoptio* perſonæ extraneæ in filium aut in filiam legitima aſſumptio, quæ fieri debet authoritate publica ſeu Magiſtratûs. Hujus cognationis legalis tres ſunt ſpecies, quæ matrimonium dirimunt. *Primò* in linea recta inter ipſum adoptantem & adoptatum, hujús-

hujúsque ſolos filios carnales deſcendentes usque ad quartum gradum; qui tamen non reperiuntur emancipati, ſed ſub poteſtate ipſius adoptati, quando fit adoptio. *Secundò* in linea collaterali inter ipſum adoptatum, & ſolos filios carnales adoptantis; qui pariter ſunt in poteſtate adoptantis tempore adoptionis, & non ultrà. *Tertiò*: inter adoptatum & uxorem adoptantis; atque inter adoptantem & uxorem adoptati. Unde ſecunda & tertia ſpecies non extenduntur ultrà primum. Hinc inter adoptantem & parentes adoptati, ſimiliter inter fratres adoptivos inter ſe, aut eorum filios nullum eſt impedimentum; ratio: quia nullum jus tale ponit; ergò &c.

CRIMEN.

IMpedimentum dirimens matrimonii, quod dicitur *Crimen*, eſt ſcelerata conjunctio, quâ conjux, adhuc vivente ſua comparte, cum alio vel alia de matrimonio ineundo criminosè conſpirat. *Pro cujus clarieri notitia*

Sciendum: Crimen, quod impedimentum dirimens matrimonii conſtituit, eſſe potiſſimùm triplex: nempe *ſolum homicidium alterius conjugis*: *ſolum adulterium*: *& adulterium cum homicidio.*

 Pri-

Primum crimen, ſeu ſolum homicidium conjugis fit, quando v. g. Titius maritus Berthæ conſpirat cum Claudia ad occidendam Bertham, ut eâ peremptâ contrahere poſſint. Crimen hoc, ut impedimentum dirimens matrimonii inducat, ſequentes tres conditiones habeat, eſt neceſsè.

Prima conditio, ut mors realiſſimè, ſeu in effectu ſecuta ſit. Ratio: quia in materia pœnali & odioſa, verba legis ſtrictè & cum effectu accipienda ſunt, pœnæque intelliguntur imponi delicto completo & conſummato. *C. relatum de Cleric. non reſid.* Hinc non ſufficiunt ſola voluntas, vel conatus mortis, conſilium vel mandatum, ſi mors re ipſa cauſata non eſt; aut ſi ſolùm ex incuria medici, chyrurgi, aut exceſsûs infirmi ſecuta ſit.

Secunda conditio eſt, ut mors ſecuta ſit ex prævia utriusque conſpiratione, ſive phyſicè, ſive moraliter. Hinc ſi vir ſolus, vel fæmina ſola, ſinè præſcitu, conſensúve alterius occidat, impedimentum nullum eſt. Neque tale affert ratihabitio ſeu mortis approbatio; hæc enim mortem ſupponit illatam.

Nec dicas: ratihabitio mandato comparatur; *Reg. 10. de R. J. in 6.* Atqui mandans occiſionem, ſeu homicidium alterius conjugis contrahit hoc impedimentum: ergo etiam

Digitized by Google

etiam ratihabens. Reſp. regulam juris intelligendam eſſe de iis, quæ ſolùm à voluntate ratihabentis pendent, & quæ jure ſic diſponente pro mandato habentur. Uti contingit in ratihabitione, qua violentam Clerici percuſſionem ſuo nomine, vel in ſui gratiam factam quis ratam habet, etſi nullum ad hoc dederit mandatum: talis enim cenſuram, ſcilicet excommunicationem incurrit. C. *cùm quis de ſent. excom. in 6.*

Tertia conditio eſt, ut mors ſecuta ſit animo & intentione contrahendi matrimonium cum complice delicti. Ratio: quia hoc impedimentum ſtatutum eſt ab Eccleſia, ut vitentur cædes inter conjuges, quæ vitari poſſunt ſublata ſpe contrahendi inter hujusmodi criminosè conſpirantes: ergò deficiente fine contrahendi, deficit impedimentum. Hinc ſi occiſio fiat ex odio, ultione, alióque fini matrimonium contrahendi adverſo, nullum eſt impedimentum.

Hoc advertas velim, quòd intentio contrahendi cum complice neceſſariò debeat exteriùs manifeſtari complici. Ratio: quia aliàs non erit conſpiratio utriusque cum animo contrahendi. Dixi notanter *intentio* contrahendi, & non *promiſſio*. Ratio: quia promiſſio nullo jure neceſſaria decernitur,

ſed quod ſufficiat, ut complici indicetur ſola intentio, ſeu voluntas ſinè actuali promiſſione, ſive fide data de matrimonio ineundo; colligitur ex C. *ſuper hoc. De eo, qui duxit in matrim.* Ex quibus pro hoc crimine

Collige primò, perinde eſſe, ſive maritus in necem uxoris, ſive uxor in necem mariti conſpiraverit, modò factum ſit cum intentione contrahendi matrimonium cum complice hujus delicti. Ratio: quia diſpoſitum de uno correlativorum, de altero diſpoſitum cenſetur. Ità Engl. Layman & communiter.

Collige ſecundò nullum eſſe impedimentum, ſi Titius maritus occidat propriam uxorem, ut aliam quamcunque indeterminatam ducat. Ratio: quia perſona indeterminata & incerta non poteſt eſſe particeps delicti; hoc enim requiritur ad inducendum hoc impedimentum, ùt patet ex ſecunda conditione ſuprà. Ex quo

Collige tertiò Titium maritum, ſi occidat uxorem, ut contrahat cum una ex ſex vel ſeptem, non poſſe ullam ducere, ex his ſex vel ſeptem, ſi omnes aliquomodò occaſionem dederint crimini vel mortem conjugis machinando, vel cum Titio fuiſſent pollutæ adulteriò, ùt de tertio crimine dicetur. Hinc

Collige

Collige quartò Titium, ſi ſuaſu Claudiæ occidat uxorem ſuam, ut ducat Donatillam ſceleris inſciam, poſſe validè cum utravis contrahere, ſi cum neutra mæchatus ſit. Ratio: quia Donatilla eſt innocens, ùt ſupponitur; tum occiſio ſuaſu Claudiæ non eſt facta cum animo contrahendi matrimonium cum Claudia; quod tamen requirit tertia ad hoc crimen requiſita conditio, ut impedimentum hoc dirimens inducat.

Secundum Crimen, ſeu ſolum *Adulterium* fit, quando v. g. Titius, vivente Bertha ſua legitima conjuge, adulteratur cum Claudia, ſibique fidem dant de matrimonio poſt mortem conjugis contrahendo.

Crimen hoc, ut impedimentum dirimens matrimonii inducat, ſequentes tres conditiones habeat, eſt neceſſè.

Conditio prima eſt, ut ſit adulterium *verum* & *formale*. *Verum*, hoc eſt, copula perfecta, ſeu quantum eſt de ſe apta ad generationem. *Formale*, hoc eſt: ſtatus conjugalis debet utrique parti eſſe cognitus. Prætereà ut fiat commixtio per copulam carnalem cum viro vel muliere, valido ac legitimo matrimonio junctis, ſive id ratum tantummodò ſit, ſive inſuper conſummatum.

Conditio ſecunda eſt, ut adſit promiſſio matrimonii cum eo, cum quo verum & formale commiſſum eſt adulterium, ità quidem, ut promiſſio & adulterium fiant eodem vivente conjuge. Unde ſi promiſſio facta eſt ſub priori matrimonio, adulterium verò ſub poſteriori v. g. *Bertha* vivente Titio marito ſuo, promiſit *Cajo* matrimonium, tandem mortuo Titio, Bertha nubit Joanni, quo vivente committit adulterium cum *Cajo*; mortuo deinde Joanne inter Bertham & Cajum nullum erit impedimentum. Ratio: quia promiſſio & adulterium debent habere connexionem inter ſe, ùt apertè requiritur *c. 6. & ult. De eo, qui duxit in matrim.* atqui in dato caſu non habent connexionem inter ſe, cùm non exiſtant ſimul, hoc eſt: ſub eodem matrimonio; ergo in dicto caſu nullum eſt impedimentum. Idem dic, ſi durante eodem matrimonio facta promiſſio revocetur priùs, quàm ſequatur adulterium, licèt deinceps absque nova promiſſione carnaliter inter ſe miſceantur. Ratio: quia ſic non concurrit adulterium cum promiſſione; nam fides antea data, ſeu promiſſio ſoluta eſt, & extincta per revocationem ante ſecutam copulam; ſecùs dicendum foret, ſi, ſecuta promiſſione & copula, tunc primùm reſilire

velint

velint à facta promiſſione; aut, ſi promiſſio facta ſit poſt adulterium, quamvìs revocetur ante mortem conjugis. Ratio: quia hoc impedimentum incurritur hoc ipſo, quòd adulterium, & promiſſio concurrant: atqui in dictis caſibus concurrunt: ergo, &c. Unde ſic criminoſi nequeunt contrahere inter ſe abſque Summi Pontificis diſpenſatione.

Notandum verò, in adulterio cum promiſſione non eſſe opus, ut unum fiat intuitu alterius, per modum pacti conditionati v. g. dicendo: *promitto, ducam te, mortuo meo conjuge vel tuo, ſi feceris poteſtatem corporis.* Nec enim hoc uſpiam requiritur, ſed ſufficit cum adulterio factam eſſe promiſſionem matrimonii, eſtque perinde, ſive promiſſio facta ſit ante ſecutam copulam, ſive poſt, ſive eodem tempore, ſive diverſo, durante tamen eodem matrimonio, ùt clarum eſt ex C. *ult. De eo, qui duxit &c.*

Conditio tertia eſt, ut promiſſio ſit vera, & ſeria, ſeu ex animo facta. Ratio: quia jus requirit promiſſionem C. *ſignificâſti. Deo eo, qui duxit &c.* atqui promiſſio vera & ſeria ſeu ex animo facta, eſt promiſſio: ergo hanc jus requirit; *ſubſumo*: atqui ficta promiſſio non eſt vera & ſeria, ſeu ex animo facta: ergo ficta promiſſio non eſt promiſſio, niſi ſolo nomi-

nomine, ùt ait *Bonac. de impedimentis matrimonii, q. 3. puncto, 6. propoſ. 3. N. 8. in fine.* Tum quia ſumus in materia odioſa: ergò non extendenda (ad fictam) ſed potiùs reſtringenda (ad promiſſionem veram) tum quia nullum mendacium eſt promiſſio ſimpliciter: ſed omnis ficta promiſſio eſt mendacium: ergo nulla ficta promiſſio eſt promiſſio ſimpliciter: atqui jura præcitata requirunt promiſſionem ſimpliciter, ſeu ſinè addito: ergò.

Nec audiendus eſt *P. Engl in lib. 4. decret. ſuper tit. 7. de eo, qui duxit in matrim. quam polluit per adult. in reſp. 3. ad quæſitum 7.* (cum quo *Sanch. Palav. Coninck* & alii) promiſſionem fictam ſufficere, modò altera pars non advertat fictionem; hac ratione: quia tunc periculum captandæ mortis, ſaltem ex parte acceptantis æquè ſubeſt, ac in promiſſione vera; jus enim (inquit) ſtatuit hoc impedimentum, ne ſcilicet ob promiſſionem matrimonii contrahendi inter adulteros captetur occaſio machinandi mortem alterius conjugis. Aſt (ſalvo tantorum Doctorum honore) ſic contra progredior: hoc impedimentum non incurritur in caſu adulterii imperfecti: ergo neque in caſu fictæ promiſſionis. Conſequentia probatur; ſicut in caſu

Digitized by Google

caſu promiſſionis fictæ (ſecundùm præcitatos DD.) ſubeſt periculum captandæ mortis alterius conjugis innocentis, ità in adulterio imperfecto: atqui hoc impedimentum (ex ore loquor citatorum) non extenditur ad caſum adulterii imperfecti: ergò neque ad promiſſionem fictam: ex ſubſequo; ſicut requiritur adulterium verum, plenum, & perfectum, ità promiſſio vera, plena, & perfecta: Tum quia, qui fictè ſeu oretenus tantùm profitetur hæreſim, fide vera in animo retenta, non incurrit pœnas taxatas ab Eccleſia contra hæreticos; quia ſimilis revera, non eſt hæreticus ſimpliciter, ſed cum addito: ergò etiam fictè promittens non incurrit hoc impedimentum, quia talis revera non eſt promiſſor. Lege Patronos meos in hoc caſu *Hurtadum*, *Rebell*, *Henriq. Dianam*, *Perez*, *Dicaſtillo*, & invenies quod aſſero.

Accedit, quòd promiſſio debeat eſſe expreſſa verbis vel aliis ſignis exterioribus, alterique parti ſufficienter manifeſtata, & ab ea acceptata vel expreſsè vel tacitè. Ratio primi eſt: quia omnis promiſſio homini facta debet ad hominem dirigi, & ab eo intelligi: atqui promiſſio ſolùm interna non poteſt ad hominem dirigi, & ab eo intelligi: ergo promiſſio ſolùm interna non eſt promiſſio homini

mini facta: ergò debet eſſe expreſſa verbis, vel aliis ſignis exterioribus &c. Ratio ſecundi eſt; quia ex dictis ad hoc impedimentum requiritur promiſſio vera: ergò obligatoria, cùm promiſſio vera non ſit, niſi obliget; obligare autem non poteſt, niſi acceptetur, poteſt enim revocari tanquam adhuc in fieri, & pendens à libera voluntate promittentis; qui nullam alteri injuriam facit mutando voluntatem, ſiquidem acceptatio tradit jus in promittentem.

Dixi notanter *expreſsè*, vel *tacitè*. De acceptatione tacita ſeu ex taciturnitate negant *Sanch. Palao. Dicaſtillo. Bonac. Engl &c.* ducti ratione; quia jura non ſolent actui merè interno pœnam ſtatuere: cogitationis pœnam (ſupple in foro externo) nemo patitur *c. cogitationis 14. de pœnit. diſt. 1.* ergò &c. Tum quia tacens in odioſis non videtur conſentire: atqui hoc matrimonium eſt odioſum; quia acceptans inhabilis redditur ad contrahendum, & pœnis Eccleſiæ ſubjicitur: ergo &c. Verùm

Oppoſitum eſt tenendum; Ratio mea ſit reſponſio ad allatas rationes: unde ad primam dico; concedendo pœnam actui merè interno non ſtatui; atqui talis taciturnitas non eſt merè interna ex præſumptione juris præſu-

præſumentis tacentem in favorabilibus conſentire; ùt habet *regula 43. de reg. jur. in 6.* uti tale matrimonium favorabile eſt ſaltem in judicio & apprehenſione taliter promittentium, etſi re ipſa favorabile non ſit; cùm enim adulteri ſe mutuò ament, cenſentur expectare mutuum matrimonium; unus enim creditur alteri iſtud promittere tanquam rem favorabilem. Per quod habetur reſponſio ad ſecundam. Subſcriberem me (fateor) ſententiæ oppoſitæ, ſi ex circumſtantiis colligeretur iſtud ſilentium potiùs eſſe contemptum, quàm promiſſionis acceptationem, ipſóſque adulteros ſe invicem amare non ad futurum matrimonium, ſed ſolùm ad Venerem pro tempore præſenti; fieri enim poteſt, quòd fæmina valdè libidinoſa hoc uno contenta ſit, ut voluptati indulgeat, quæ de cætero abhorret matrimonium contrahere cum tali viro adultero. Et hoc, ſi ità ex circumſtantiis colligeretur, ſtaret veritas opinionis contrariæ. Quemadmodum autem multi, ſicut modò vidimus, promiſſionis expreſſam acceptationem exigunt, ità ſunt aliqui ex Authoribus, qui in promiſſione futuri matrimonii poſt mortem conjugis ineundi requirunt inſuper, ut ſit promiſſio mutua, docentes: ad hoc, ut oriatur impedimentum,

tum, non ſatis eſſe, quòd adulter promiſerit fæminæ matrimonium, cum qua adulteratus eſt, eámque promiſſionem illa expreſsè, vel juxta nos ſaltem tacitè acceptaverit, ſed opus eſſe, ut ipſa quoque reciprocè pro-mittat, ſéque viciſſim viro obliget. Ità tenet *Henriq. Hugolin. Pirhing.* Ratio eorum eſt; quia cùm jura ad hoc impedimentum exigant vel matrimonium de præſenti, vel ſaltem fidem datam de conjugio futuro, ſufficienter indicant, neceſſarium eſſe, ut illud matrimonium celebretur eo modo, quo aliàs eſſet celebrandum, & in promiſſione futuri matrimonii ea fides detur, quæ ſufficit, & requiritur ad conſtituenda ſponſalia: ſed utraque deſponſatio tam de præſenti, quàm de futuro fieri debet reciprocè: ergò hìc quoque neceſsè eſt; ut ità fiat; conſequenter, ut fiat non ſolùm promiſſio, ſed etiam repromiſſio. Verùm hìc quoque rursùs

Contrarium tenendum eſt cum *Sanch. Dicaſtill. Gobat. Perez, Hurtado, Tamb. Engl. Coninck. Baſil. Pont.* & communi aliorum. Cùm nullo jure oſtendi poſſit, in promiſſione matrimonii poſt mortem conjugis contrahendi eadem opus eſſe promiſſione, qualis adeſſe debet in ſponſalibus; namque hæc ex eſſentia ſua dicunt promiſſionem mutuam, ùt con-

conſtat ex definitione *L. 1. ff. de ſponſal.* vocantur *futurarum nuptiarum repromiſſio* & *C. Noſtrates. 30. q. 6. mutua nuptiarum promiſſio.* At verò hic jura nullam penitùs mentionem faciunt repromiſſionis, ùt patet ex *C. ſignificâſti. De eo, qui duxit &c.* Ubi dicitur: *niſi alter ea* (ſcilicet uxore) *vivente fidem dederit de matrimonio contrahendo.* Ecce! ly *alter* ſolùm indicat promiſſionem unius. Et ratio clara eſt; quia ad hoc impedimentum inducendum æquiparantur machinatio mortis conjugis, & futuri matrimonii promiſſio: atqui machinatio ſufficit ex parte unius, quando adeſt adulterium, ùt dicetur in tertio crimine: ergò etiam promiſſio. Fundatur hæc ratio & paritas in textu *C. ſignificâſti. De eo, qui duxit*: ubi dicitur: *niſi alter eorum in mortem uxoris defunctæ fuerit machinatus, vel ea vivente fidem dederit de matrimonio contrahendo.* Ex quibus pro hoc crimine

Collige primò, ſolum adulterium ſinè promiſſione non ſufficere; clarum eſt, ſed nec ſolam promiſſionem. Ratio: quia impedimenta matrimonii ſunt odioſa; conſequenter reſtringenda, ultrà caſus in jure expreſſos minimè extendenda, quamvis talis promiſſio poſſit inducere votum captandæ mortis. Præterquam, quòd hæc promiſſio ſit

graviter peccaminoſa; ex ſe nec eſt obligatoria, quia conſtante matrimonio de alio paciſci turpe pactum reputatur.

Collige ſecundò, ut ſolum adulterium inducat tale impedimentum, debere adeſſe promiſſionem, quæ habeat determinatam obligationem. Unde Titius conjugatus, qui ſolitus rem habere cum Bertha, una vice ſic eam eſt allocutus: *Si moreretur mea uxor, te in uxorem ducerem*: poteſt uxore decedente ducere Bertham. Ratio eſt: quia locutio illa non fuit promiſſio, ſed velleitas ac ſimplex oſtenſio animi, & expreſſio amoris: Canones autem loquuntur expreſsè de promiſſione, adeoque cùm ſimus in odioſis, extendi non debent ad ſimplicis animi & amoris oſtenſionem. Similiter, non incurrit impedimentum, ſi dicat: *ſi voluero, te ducam*: quia promiſſio non eſt, quæ ad propriam voluntatem refertur. Item non ſufficit, ſi adulter dicat: *niſi eſſem uxoratus, te ducerem*; quia talia verba ſolùm intentionem & propoſitum important.

Collige tertiò, promiſſionem debere eſſe abſolutam: excepta conditione mortis ſcilicet: *te ducam, ſi moriatur uxor mea.* Nihilominus ſufficere promiſſionem hypotheticam, ait P. Laymann in caſu, quo conditio purifica-

ta

ta fuerit ante mortem conjugis: quia promiſſio hypothetica nequit ante impletam conditionem vocari promiſſio, nec dat occaſionem machinandi mortem.

Tertium Crimen, quod eſt graviſſimum, nimirùm *Adulterium cum homicidio*, fit, quando v. gr. Titius occidit propriam conjugem, vel maritum adulteræ, ut cum ſuperſtite adultera contrahat matrimonium; vel dum adultera occidit proprium maritum vel uxorem adulteri, ut ſuperſtiti adultero nubere poſſit. Crimen hoc, ut impedimentum dirimens inducat, tres ſequentes conditiones habere debet.

Conditio prima eſt, ut mors ſit ſecuta in effectu, vî machinationis. Patet jam ex dictis de ſolo homicidio.

Conditio ſecunda eſt, ut mors ſit cauſata animo, & intentione contrahendi cum complice adultero: ubi benè nota, hìc ſufficere, ſi una tantùm pars intendat; nec opus eſt, ut manifeſtetur alteri. Ratio eſt: quia, ut hoc crimen inducat impedimentum, non eſt opus conſpiratione utriusque partis in mortem conjugis, ſicut in crimine primo, ſcilicet ſolius homicidii requiritur; ſed ſufficit, ut una tantùm pars occidat, ſive phyſicè, ſive moraliter.

Conditio tertia eſt, ut adulterium verum & formale præcedat mortem actualem conjugis; quia jura requirunt homicidium cum adulterio; poſt mortem verò conjugis jam adulterium non eſt. Ex quibus venit reſolvendus ſequens & frequens

CASUS.

Titius pertæſus vetulæ & rixoſæ uxoris ſuæ Tonitruariæ, ut conſenſum in copulam à Sabina ancilla impetraret, pollicitus eſt huic nuptias poſt mortem legitimæ conjugis ſuæ, neſcius hoc eſſe impedimentum. Ad hanc promiſſionem Sabina quidem nihil repromiſit, quo ſe viciſſim obligaret, voluntati tamen Titii ceſſit, & adulterium cum eo perpetravit. Nunc mortua uxore res in eo eſt, ut matrimonium hi duo contrahant, & num validè contrahere poſſint ſinè diſpenſatione; & reſolvendo

Dico: Titium non poſſe validè contrahere matrimonium cum Sabina. Ratio: quia habetur impedimentum criminis, ad quod contrahendum non requiritur repromiſſio, ut patet ex dictis de crimine ſecundò, ſcilicet homicidio cum promiſſione. Nec eisdem patrocinari valet, quòd Titius ignoraverit, adulterium cum promiſſione futuri matrimonii eſſe impedimentum dirimens; quia pro

indu-

indubitato tenendum, eum, qui adulterium commiſit cum promiſſione matrimonii, aut alio quovìs modo deliquit, quo diximus induci impedimentum criminis, illud incurrere, atque ideò invalidè contrahere cum complice matrimonium, quamvìs neſciverit tali delicto annexum eſſe impedimentum. Ità *Moja. Gobat. Dian. Sporer, Engl, VVex. VVieſtner, &c.* Ratio: tum quia nec SS. Canones, dum loquuntur de impedimento criminis toto *tit. De eo, qui duxit &c.* nec interpretes ejus tituli, aut alii Authores ullam mentionem faciunt, quòd ad incurrendum impedimentum criminis ullo modo opus ſit habere notitiam ejus impedimenti, ſed ſolùm enumerat alias conditiones, quas ſupra expoſuimus: ergò &c. Tum quia; alia omnia impedimenta matrimonii contrahuntur, & obſunt illius valori, etiamſi eorum notitia non habeatur, ùt paſſim videre eſt apud omnes. Ergò idem dicendum de impedimento criminis, cùm neque ex jure, nec ratione, neque authoritate ſufficienter oſtendi poſſit circa hoc aliqua exceptio. Tum quia impedimentum affinitatis contrahitur ex copùla illicita, quamvìs ignoretur, tali copulæ annexùm eſſe impedimentum dirimens, cujus contrarium nemo audet dicere: ergò etiam in noſtro

E 3 caſu

caſu contrahi debet ab ignorante tale impedimentum: Tum quia; hoc conſtàt ex ſenſu communi & praxi uſitata in curiis Eccleſiaſticis tum Romæ, tum alibi, ùt notant *Moja*, & *Gobat*. Tum tandem, quia hoc impedimentum non eſt ſtatutum ab Eccleſia unicè & principaliter in pœnam delicti, ſed ob alias cauſas, & quidem præcipuè ideò, ut homines abſterreantur, ne ſpe matrimonii ejusmodi crimina committant: quanquam igitur iſtud impedimentum præſupponat delictum formale v. gr. adulterii, aut uxoricidii certis qualitatibus affecti, non tamen unicè ac principaliter eſt inſtitutum ad puniendum delictum, ſed ob prædictos fines; nempe, ad præcavenda pericula captandæ mortis innocentis conjugis, ad præcavenda adulteria &c. Eſt ergò primariò ac principaliter (ùt alia impedimenta matrimonii) inhabilitas quædam ad contrahendum, ut homines hac ratione deterriti à dictis ſceleribus abſtineant, fidésque thalami illæſa conſervetur, & nullæ parentur inſidiæ; cujusmodi crimina, qui committunt, & quidem ex intentione conjugii, indigni ſunt, ut finèm intentum conſequantur, meritóque redduntur inhabiles ad contrahendum cum complice. Vides igitur finem primarium longè alium eſſe, quàm

quàm ut per hoc impedimentum delicta puniantur; atque ità, licèt impedimentum criminis etiam pœna ſit, hæc tamen partialiter tantùm intenditur, & ſecundariò. Ex quibus benè perpenſis facilis erit reſponſio ad fundamenta adverſariæ ſententiæ, quæ paucos hodie habet Patronos. Igitur *adverſæ opinionis*

Primum fundamentum eſt: impedimentum criminis ſtatutum eſt ab Eccleſia in pœnam delicti commiſſi; atqui pœna non incurritur ab illo, qui eam ignorat, ùt habetur in *C. de Conſtitut. in 6. ut animarum periculis obvietur, ſententiis per ſtatuta quorumcunque ordinariorum Prælatis ligari nolumus ignorantes &c.* Ubi, ne videatur hoc intelligi de ſolis conſtitutionibus Epiſcopi, expreſsè addit: *Idem eſt de quacunque alia conſtitutione*: ergò impedimentum criminis non incurritur ab eo, qui ignorabat tale impedimentum, quando crimen patravit, v. gr. adulterium cum promiſſione futuri matrimonii.

Reſp. neg. maj. vel claritatis gratiâ diſt. ſtatutum eſt ab Eccleſia in pœnam delicti unicè & principaliter, quaſi alius finis magis principalis non adeſſet N. partialiter tantùm & ſecundariò, *tranſeat*. Quia impedimentum hoc, ût mox ſuprà dictum, primariò habet,

bet, ut inhabilitatem inducat ad matrimonium, ut homines hac ratione abſterreantur ab enumeratis criminibus, dum vident, ſi iſta patraverint, nullum fore eorum matrimonium. Poteſt verò utique Eccleſia, & ſolet contractum matrimonialem habere pro nullo, ſi fiat in certis circumſtantiis ab ea interdictis, potéſtque etiam inhabilitare homines ad ità contrahendum: ſic enim matrimonium, quod clandeſtinè contrahitur, nullum eſt poſt Tridentinum Concilium, & quisque factus eſt inhabilis ad ità contrahendum, ut evidentur plurimæ deceptiones, illiciti concubinatus ſub ſpecie matrimonii, & injuſtæ conjugum ſeparationes. Nec aliter, ubi affinitas vel conſanguinitas intercedit, ut conſulatur reverentiæ ſanguinis, inhabilitas datur inter perſonas, ut fiant conjuges, initúmque ab ipſis conjugium irritum, ac nullum eſt, etiamſi impedimentum neſciverint: ergò hìc quoque poteſt Eccleſia matrimonium irritare, quando præceſſit uxoricidium, vel adulterium cum promiſſione conjugii, eósque, qui iſta crimina commiſerint, reddere ſimpliciter inhabiles ad contrahendum inter ſe, utpotè indignos, ut copulentur per matrimonium, qui iſtum finem per tanta ſcelera conſequi conati ſunt.

Neque

Digitized by Google

Neque dicas, diſparitatem eſſe inter impedimentum affinitatis & criminis; cùm ibi detur præcisè inhabilitas, hic autem ipſa inhabilitas ſe habet per modum pœnæ propter delictum commiſſum; nam repeto, quæ dicta ſunt, quòd inhabilitas ſit ſimul pœna, hoc eſſe ſecundarium; finis enim primarius hujus impedimenti eſt, reddere inhabiles ſuppoſito iſto crimine, ut ſic ab eo homines abſterreantur, & matrimoniis, conjugúmque incolumitati conſulatur; iſtæ autem duntaxat pœnæ non incurruntur ab ignorantibus, quæ vel unicè vel certò principaliter pœnæ ſunt; at, quæ ex alio fine primario inducunt inhabilitatem, ab iis nulla excuſat ignorantia. *Opinionis adverſæ*

Secundum fundamentum eſt: Pœna excommunicationis & aliarum cenſurarum non incurritur à delinquentibus v. gr. à legentibus libros hæréticos, aut percutientibus Clericum, niſi iſta patrantes habuerint notitiam, quòd iis ſceleribus annexa ſit excommunicatio, vel alia cenſura tanquam pœna Eccleſiaſtica: Idem eſt de irregularitate ex delicto v. gr. homicidio, vel mutilatione, celebratione in excommunicatione &c. per quam inducitur quædam inhabilitas ad ſuſcipiendos Ordines, & ad utendum ſuſceptis; quia ta-

Digitized by Google

men hæ, aliæque ſimiles irregularitates, quæ ex delicto oriuntur, ſtatutæ ſunt in pœnam, non incurruntur ab ignorantibus eas annexas eſſe tali delicto, puta homicidio, quamvis aliæ irregularitates, quæ ex delicto non ſunt, ſed ex defectu etiam ab ignorante contrahantur, ùt defendunt Sanchez *l. 9. de matrimon. diſp. 32. N. 17.* Mendo. Portel &c.

Reſp. Latam eſſe diſparitatem inter impedimentum criminis, & excommunicationem, aliásque cenſuras; nam iſtæ, ut incurrantur, exigunt contumaciam & contemptum poteſtatis Eccleſiaſticæ, ſub ipſarum comminatione aliquid prohibentis, vel præcipientis; nec incurruntur ſinè prævia monitione, & earundem comminatione, quæ, quando ſunt latæ ſententiæ, ſaltem à jure facta eſt: cùm autem nequeat contemptor dici, aut contumax, ac inobediens in legem Eccleſiæ cenſuram minitantis, qui eam ignorat, ùt colligitur ex *L. ſi ignorans 50.* ubi dicitur: *non enim contemnit diſciplinam, qui ignoravit.* Mirum non eſt, quòd excommunicatio, aliæque cenſuræ infligantur primariò, ùt pœnæ contumaciæ, contemptûs, & inobedientiæ, licèt ſint ſecundariò medicinæ, in quantum Eccleſia per eas intendit homines à ſceleribus abſterrere. Aliter ſe res habet in impedimen-

mentis criminis, quæ ex primario fine non ſunt pœnæ.

De irregularitate, quod additur, non immeritò negari poteſt; nam docet communior, apud Palao *diſp. 6. de cenſur. pu. 6. N. 2.* eam incurri etiam ab ignorante non ſolùm, quando ex defectu, verùm etiam quando eſt ex delicto: cùm ea non contrahatur propter contumàciam, ſed propter turpitudinem ſeu maculam culpæ, quâ criminoſus ſecundùm Eccleſiæ Canones inhabilis redditur ad altaris miniſterium; quia valdè indecens eſt, ut offerat ſanguinem Chriſti is, qui v. gr. per homicidium fudit humanum ſanguinem, ad quam indecentiam prorsùs per accidens eſt, quòd homicida ſciat, vel ignoret irregularitatem. Sed

Transmittamus antecedens, quod probabiliter admitti poteſt teſte cit. Palao cum pluribus, quos allegat; adhuc tamen dico, eſſe diſparitatem: quia in hac ſecunda ſententia ideò irregularitas ex delicto ab ignorante non incurritur, quia ſe habet ùt pura pœna, vel ſaltem, ùt talis principaliter, per quod diſtinguitur irregularitas ex delicto ab aliis irregularitatibus ex defectu etiam inculpabili, quæ ignorantes quoque afficiunt: at verò impedimentum criminis principaliter

non

non eſt pœna, ſed ſpecialis inhabilitas reſultans ex actu peccaminoſo, conveniens cum ea inhabilitate, quæ eſt in aliis impedimentis matrimonii, quæ, ſive ſciantur, ſive ignorentur, æqualiter incurruntur. *Adverſæ ſententiæ Fundamentum tertium*, ſi maritus carnaliter cognoſcat conſanguineam uxoris ſuæ, ſed neſciat, quòd jure Eccleſiaſtico tali inceſtui inter primum & ſecundùm gradum poſt Concilium Tridentinum annexa ſit pœna, vi cujus maritus nequeat ampliùs ab uxore licitè petere debitum conjugale juxta probabilem ſententiam, quam habet Palao *tract. 2. diſput. 1. pu. 17. N. 8.* Sporer *L. C. de matrim. N. 48.* Diana *par. 11. tract. 5. reſol. 38.* & alii ab his citati hanc pœnam à ſe ignoratam non incurrit; ergò ſimiliter non incurret impedimentum criminis, qui ignorabat id eſſe annexum v. gr. adulterio à ſe commiſſo cum addita promiſſione matrimonii.

Ad hoc reſpondent plurimi, qui fortè probabilius maritum, quando is conſanguineam uxoris ſuæ carnaliter cognovit, non excuſant à privatione debiti, etſi neſciverit, annexum hoc eſſe crimini inceſtûs. Sed rursùs *admitto antecedens*, & *nego conſequentiam*, & dico, hanc debiti privationem vel puram, vel ſaltem principaliter eſſe pœnam, proinde

ab

ab ignorante non incurritur: econtra impedimentum, quod oritur ex adulterio, vel machinatione mortis in conjugem principaliter eſt ſpecialis inhabilitas ob præſuppoſitum crimen à Jure Eccleſiaſtico ſtatuta, ad quam incurrendam, ſicut in aliis impedimentis, ipſius notitia non requiritur. Atque ità patet reſolutio casûs poſiti per hoc, quòd ignoraverit Titius, adulterium, quod cum *Sabina* commiſit cum promiſſione futuri matrimonii inducere impedimentum dirimens, eundem nullo modo excuſari poſſe, ſed adeſſe omnímodam inhabilitatem, propter quam validè contrahere invicem nequeunt.

CULTUS DISPARITAS.

IMpedimentum dirimens matrimonii, quod dicitur *Cultûs Diſparitas*, eſt inhabilitas perſonarum in ordine ad validè contrahendum matrimonium orta ex fidei ſeu religionis diverſitate, quæ datur inter fidelem ſeu baptizatum, & infidelem, ſeu non baptizatum: unde ſi Chriſtianus ducat Judæam, Mahometanam, vel Paganam; aut è converſo: fæmina Chriſtiana nubat Judæo, Mahometano, vel gentili, matrimonium taliter

liter contrahentium nullum eſt: ità unanimis omnium DD. conſenſus; & meritò, tum ob periculum perverſionis in ſide, cui ſe exponunt baptizati hujusmodi matrimonium contrahentes. Tum propter damnum prolis, ad cujus bonam & rectam educationem in obſequium DEI matrimonium ordinatur; ſiquidem difficulter poſſunt filii vel patris vel matris infideles in vera fide inſtrui, & educari. *Pro quo*

Sciendum, matrimonium baptizati ſeu fidelis contractum cum infideli, ſeu non baptizato invalidum eſſe ſolo jure Eccleſiaſtico conſuetudinario. Ratio eſt: quia cultûs diſparitas non dirimit matrimonium Jure naturæ, aut divino: ergò ſolo jure Eccleſiaſtico. Antec. prob. quoad primam partem. Ratio naturalis nullatenus dictat fidei diſparitatem repugnare ſubſtantiæ matrimonii, aut abſolutè ejus fini, cùm pro educandis prolibus conveniri poſſit de præcautionibus obſervandis; unde varii fideles in veteri teſtamento, ſicut & in novo, imò amici Dei ſingulares contraxerunt cum infidelibus, ùt in veteri *Jacob* cum filiabus *Laban* idololatræ: *Joſeph* cum *Ægyptia*: *Moyſes* cum *Æthiopiſſa*: *Eſther* cum *Aſſuero*: Et in novo *SS. Cæcilia, Clothildis*, & *Monica* cum viris nondum baptizatis;

tis; quod ſanè non feciſſent, ſi hoc repugnâſſet juri naturæ.

Antec. principale prob. quoad ſecundam partem: quia etſi fortè in lege veteri impedirentur lege divina poſitiva Judæi cum gentilibus nubere ſecluſa diſpenſatione, juxta illud Deut. 7. v. 3. *Neque ſociabis cum eis conjugia*: quod non videtur de ſolis mulieribus Chananæis intellectum, cùm *Eſdras Lib. 1. C. 10.* Judæos à captivitate liberatos compulerit ad repudia uxorum alienigenarum, quæ tamen non erant Chananææ, videtur tamen in lege Evangelica prohibitionem illam tanquam judiciariam non ampliùs ſubſiſtere; aliàs nunquam ei contraveniſſent prædictæ ſanctiſſimæ Mulieres. Et ideò quando Apoſtolus 2. *Corinth. 6. ait*: *Nolite jugum ducere cum infidelibus*; oſtendit quidem matrimonium illud eſſe jure divino prohibitum, ubi ſubeſt periculum ſubverſionis, quod credibile eſt non fuiſſe reſpectu præfatarum Sanctarum, non tamen invalidum. Quo ſenſu intelligendi ſunt Tertullianus & Auguſtinus: primus quidem dum *Lib. 2. ad uxorem Cap. 3. Gentilium matrimonia ſubeuntes, ſtupri reos eſſe conſtat*; quia non loquitur de ſtupro corporis, ſed mentis exponendo ſe periculo fidei abnegandæ. Secundus verò *Lib. de adult. conjug.*

C. 21.

C. 21. hoc eſt ergò Domini præceptum (inquit) *tam in veteri, quàm in novo teſtamento, ut non niſi unius religionis & fidei conjugia ſibi maneant copulata*: quia agit de copulatione per charitatem: ubi enim disjungit fides, quomodo conjungere poteſt charitas?

Igitur cultûs Diſparitas dirimit matrimonium ſolo jure Eccleſiaſtico, quod cùm nullibi reperiatur ſcriptum, dicendum eſt eſſe conſuetudinarium uſu Eccleſiæ longævo approbatum.

Accedit pro praxi, quòd ſi ex conjugibus infidelibus unus convertatur ad fidem, altero in ſua infidelitate remanente, remaneat matrimonium, ſi conjux infidelis velit cum fideli cohabitare ſinè injuria Creatoris. Si verò conjux infidelis recedat *phyſicè*, videlicet, ſi non velit cum fideli cohabitare, vel ſi recedat *moraliter*, videlicet, ſi velit habitare, ſed non ſinè injuria Creatoris, quatenus coram conjuge fideli Chriſtum & fidem blaſphemat, eam tentat à fide divertere, vel prolem futuram fidelem non vult &c. tunc matrimonium, etiamſi conſummatum fuerit, diſſolvitur quoad vinculum, ità ut conjux fidelis poſſit ad aliud matrimonium cum Chriſtiano tranſire, ante omnem ſententiam ex lege Chriſti in privilegium fidei promulgata

gata à D. Paulo *1. Corinth. 6. quòd ſi infidelis diſcedit, diſcedat: non enim ſervituti* (hoc eſt ligamini conjugali) *ſubjectus eſt frater aut ſoror in hujusmodi.* Ex hoc porro, quòd irritum ſit matrimonium inter fidelem & infidelem, adeò ut extendatur etiam ad Catechumenos, enaſcitur dubium, an jure poſitivo Eccleſiaſtico eodem modo invalidum ſit conjugium, dum mulier Catholica nubit hæretico vel Apoſtatæ, & econtrà? Pro cujus ſolutione ſit reſolvendus ſequens

CASUS.

Chriſtina Catholica nupſit Hilduino, quem Catholicum eſſe crediderat, qualem ſe ipſe dicebat, & per biennium, quo vixit in urbe Catholica, tam aptè ſimulaverat, ut nemo unquam de eo dubitaverit. Nunc verò, cùm mutaverit domicilium, ſedemque fixerit cum ſua conjuge in loco, ubi mixta religio eſt, palàm ſe profitetur Lutheranum, qualis ſemper fuerat, templúmque & ſynaxin Lutheranorum frequentat, quod dum videt Chriſtina, dolosè deceptam ſe eſſe conqueritur, nec perſuaderi jam poteſt, ut porro cohabitet viro hæretico: imo quia audivit, conjugium cum infideli contractum eſſe irritum, hujus opinionis eſt, ob nullitatem matrimonii quod cum hæretico contraxerat, poſſe ſe, Hilduinô relictô, alteri Catholi-

tholico nubere. Jam quæſtio eſt, an hæreſis ſit ea in cultu diſparitas, quæ ſit ſufficiens ad inducendum impedimentum dirimens. Et reſolvendo.

Dico, validum eſſe conjugium contractum inter mulierem Catholicam, & virum hæreticum, vel Apoſtatam, & è converſo: inter virum Catholicum & mulierem hæreticam. Ratio: tum, quia nullo jure reperitur ſtatutum eſſe pro hoc caſu impedimentum dirimens; imò contrarium videtur ſupponere Bonifacius VIII. *in C. decrevit. De hæretic. in 6.* ubi jubet in pœnam delicti confiſcari dotem uxorum Catholicarum, quæ ſcientes nupsêre hæreticis, nulla penitùs facta mentione, quòd inſuper debeant ſeparari, & earundem conjugia irrita ſint. Accedit gloſſa *in C. non oportet. 28. q. 1. V. hæretici.* id ipſum apertiſſimè docens his verbis: *Hæreticus non poteſt contrahere matrimonium cum Chriſtiana*, dicit tamen Hugo, *quòd ſi contrahit, tenet matrimonium, ſicut ſi contraheret cum excommunicato.* Tum quia Clemens VIII. in Conſtitutione 42. quæ incipit: *Cum ſicut &c.* edita anno 1596. præcipit Italis extra Italiam commorantibus, *ut abſtineant à matrimoniis cum hæreticis.* Rursùm verò nihil addit de irritatione ipſorum conjugiorum. Tum quia Urbanus VIII. die 14. Mar-

Digitized by Google

Martii 1630. in congregatione S. Officii coram Sanctitate ſua habita decrevit, *quoad matrimona jam inita tolerari poſſe, mulieres hæreticas, quæ maritos habent Catholicos, cohabitare arbitrio Ordinariorum, quamdiu fuerit aliqua ſpes converſionis & nullum ſubverſionis periculum, ità tamen, ùt proles Catholicè educetur.* Ubi iterum ſupponit Pontifex, valida eſſe hæc matrimonia, aliàs tolerari non poſſent. Tum denique, quia ſic cenſuit S. Congregatio de propaganda fide. Anno 1538. *in terris hæreticorum, ubi hæreſes impunè graſſantur, maxime ſi ibi Catholicæ fidei liber cultus non permittitur, matrimonia cum ipſis hæreticis per exhortationes potiùs, quàm per cenſuras prohibenda.*

Ex quibus vides neque ex jure poſitivo nec conſuetudinario oſtendi, conjugium cum perſona hæretica initum eſſe invalidum; ergò *Chriſtina* noſtra fruſtrà attentavit tranſire ad ſecundas nuptias cum alio viro Catholico, relicto marito hæretico, malè ſibi perſuadens, adeſſe impedimentum dirimens, propter Cultûs diſparitatem.

Cæterùm hæc matrimonia, quæ contrahunt Catholici cum hæreticis, etſi valida ſint, fuerunt tamen jam olim in Eccleſia illicita, ut manifeſtè colligitur ex *C. decrevit.* ſuprà cit. *de Hæreticis in 6.* ubi ſic contrahen-

 tibus

tibus pœna decernitur, illáque etiam hodie graviter eſſe prohibita, conſtans eſt & communis doctrina Catholicorum, ùt videre eſt apud Layman. *L. 5. tr. 10. p. 4. C. 14. N. 2.* Gobat. *tr. 9. N. 216.* Tanner. Engl, Perez, Dicaſtill. Sporer, & alios paſſim, ac proinde peccant per ſe loquendo mortaliter Catholici, qui ducunt Acatholicas, & præſertim puellæ Catholicæ nubentes viro hæretico; quia hæ fragiliores ſunt, & faciliùs in Apoſtaſiam pertrahuntur; in locis tamen Catholicis, ubi permixta cohabitatio eſt cum hæreticis, ùt in Germania, Gallia, Polonia ex recepta & tolerata conſuetudine non eſſe illicitum perſonæ Catholicæ etiam absque diſpenſatione contrahere matrimonium cum hæretico affirmant Sanchez, Azor, Perez, &c. cum addito: ſi ibi id fiat *ex conſuetudine ſcita & tolerata à Romano Pontifice*, & abſit periculum perverſionis, ac malæ educationis prolium, quia talia conjugia ineuntur inſtar aliorum contractuum in iis locis cum hæreticis ob amicitiæ leges ad pacem communem, & Reipublicæ tranquillitatem conſervandam. Nihilominùs putat Conninck *diſp. 31. dub. 3. N. 41.* raròhoc tutum eſſe in praxi, eidémque conſuetudini reſiſtunt, & eam etiam pro Germania licitam, non agnoſcunt Gobat.

Tan-

Tannerus, Sporer, Authores Germani, niſi ſecluſis omnibus hiſce malis & periculis, quæ ordinariè timeri debent, alia inſuper gravis quædam & juſta cauſa hoc agendi adſit v. gr. ſpes ſopiendi magnas diſcordias, convertendi conjugem ad fidem &c.

Porrò, indubitatum eſt omnibus citatis Authoribus, nempè nefaria prorsùs, impia, illicita, atque etiam irrita eſſe pacta, quæ in iſtis conjugiis quandoque ineuntur, ut è liberis inde naſcituris alii Catholicæ fidei, alii verò hæreſi adhæreant: puta maſculi patrem fidelem, fœmellæ autem matrem hæreticam ſequantur; quod juri divino & Eccleſiaſtico repugnat; Eccleſia enim conſtituit, ut ex alterutro parente Catholico ſuſcepta proles in Catholicæ Religionis dogmate erudiatur. *c. ex litteris de converſ. infidel. C. Judæi 28. q. 1.* Cum jure autem divino pugnant hæc pacta; quia ex hujus præſcripto parvulis uſu rationis carentibus cura parentum miniſtrare & præbere debet remedia ad ſalutem neceſſaria: ergò filii parvuli inſtituendi ſunt in ea fide ac religione, quæ vera eſt, & ad ſalutem neceſſaria, nempe in fide Catholica, ut in ea ſalvi fieri queant, utpote extra quam ſalus eſſe non poteſt.

Digitized by Google

VIS SEU METUS.

IMpedimentùm dirimens matrimonii, quod dicitur *Vis* ſeu *Metus*, eſt conſenſus metu gravi injuſtè incuſſo extortus in ordine ad contrahendum matrimonium. *Pro clariori notitia hujus impedimenti*

Sciendum: *Metum* (ſuppoſita ejus definitione data ab Ulpiano *L. 1. ff. quod metûs causâ*, quòd ſit inſtantis periculi, vel futuri mali mentis trepidatio) alium eſſe *gravem*, alium *levem*, alium *juſtum*, alium *injuſtum*, alium *intrinſecum*, alium *extrinſecum*. Metus *gravis* eſt, quando timetur malum, quod grave ſit vel ſecundùm ſe, vel ſaltem reſpectu perſonæ, cui metus incutitur: gravia autem mala ſecundùm ſe & abſolutè cenſentur communiter mors, mutilatio, incarceratio diuturna, verberatio gravis, ſtuprum, infamia, amiſſio nobilitatis, vel inſtrumentorum & ſcripturarum, quibus ea probari, & defendi poſſit, amiſſio bonorum omnium, vel majoris partis patrimonii, injuſta excommunicatio, quæ difficulter tolli queat. Hæc & ſimilia ab omnibus paſſim etiam cordatis, ſecundùm ſe, & ex genere ſuo reputantur gravia, dicuntúrque incutere metum cadentem in virum conſtantem.

Dixi

Digitized by Google

Dixi notanter, *vel ſaltem reſpectu perſonæ, cui metus incutitur*: quia multa mala, quæ à viro cordato & animoſo non curantur, ob apprehenſionem & conditionem perſonæ aliis accidunt valdè gravia v. gr. fæminis, pueris, ſenibus, vel aliis meticuloſis; item valdè afflictis; hinc, quæ aliquando non ſufficiunt, ut viro conſtanti injiciant timorem, poſſunt tamen ſufficere, ut in ſimilibus perſonis cenſeatur adeſſe metus gravis. Hinc, ut judicemus, ſitne gravis, an levis metus, conſiderare oportet malum, quod imminere creditur, non ſolùm ſecundùm ſe, ſed aliquando attendenda eſt qualitas perſonarum, quibus illud imminet, an vir ſit, an fæmina, an puer, an adoleſcens, an ſenex, &c. Metus *levis* eſt, quando timetur leve tantùm malum, v. gr. incuſſio colaphi, levis verberatio, reprehenſio verbalis, ſubtractio ciborum &c. *Metus juſtus* eſt, quem quis patitur ſinè ſua injuria; econtra *injuſtus*, quem cum injuria patitur. *Metus intrinſecus* eſt, qui procedit ab intrinſeco v. gr. morbo. *Extrinſecus* verò, qui provenit ab extrinſeco v. gr. latronibus &c. His præſcitis

Certum eſt, Metum invalidare matrimonium. Ratio eſt: quia contractus matrimonialis debet eſſe voluntarius, & ſpontaneus;

 hoc

hoc eſt: non vi vel metu extortus, ac invitus, ſed ut uterque conjugum in illum liberè conſentiat: ergò matrimonium ex metu initum nullum eſt, atque irritum. Ità omnes. Tum quia metus adverſatur tribus illis bonis matrimonii, ſcilicet fidei, proli, & Sacramento. Sacramento quidem, quia hoc ſignificat conjunctionem Chriſti cum Eccleſia, quæ fuit facta per liberum & prorsùs voluntarium amorem: ergò matrimonium quoque contrahi debet per liberum & voluntarium conſenſum, ut ſignum correſpondeat ſignato. Deinde repugnat metus debitæ generationi prolis, qui eſt finis matrimonii; quia qui vî ſeu metu matrimonium contrahunt, deficiente amore facilè ſeparabuntur, & ad prolis generationem non multùm afficientur. Denique repugnat metus fidei conjugali, quia: *quod quis non eligit, nec optat, profectò non diligit, quod autem non diligit, facilè contemnit. Can. præſens. 20. q. 3.* Unde periculum eſt, ne tales conjuges fidem violent, & in adulteria labantur. Verùm

Ut metus invalidet matrimonium, quatuor in eo debent adeſſe conditiones.

Prima Conditio eſt, ut ſit metus gravis; quia metus levis non præſumitur abſtuliſſe libertatem, cùm modicam, & ferè nullam vim inferat:

Digitized by Google

ferat: & ideò, qui eum non depellit, liberè, & perfectè cenſetur conſentire.

Secunda Conditio eſt, ut metus iſte incutiatur à cauſa extrinſeca libera, non verò procedat ab intrinſeco, aut cauſa naturali v. gr. morbo, tempeſtate, periculo naufragii, feris animalibus. Ratio: quia in talibus caſibus homo non ab alio, ſed à ſe ipſo impulſus eligit matrimonium tanquam medium conducens ad ſuam liberationem, neque tam contrahit ex metu, quàm ex amore ſui boni: ergò &c.

Tertia Conditio eſt, ut metus iſte inferatur injuſtè; ratio: quia ſi metus juſtè incutitur, non extorquetur conſenſus per injuriam & injuſtè: ergo ille, qui cogitur, non eſt rationabiliter invitus, quia jure cogitur, & ipſe non parendo recedit à jure & æquitate.

Quarta Conditio eſt, ut metus ille incutiatur in ordine ad extorquendum conſenſum matrimonialem, non verò ad alium finem. Ratio: quia ſi metus incuſſus ſit ad alium finem, tunc metus non eſt cauſa matrimonii, ſed iſtud propria voluntate eligitur veluti medium ad ſe liberandum à periculo corporis intentato ab eo, qui metum intulit.

Unde quoties in contractu matrimoniali has quatuor inveneris conditiones; ſcias

matrimonium in utroque foro irritum ac nullum. Ità communiter Theologi & Canoniſtæ. Deciditur id expreſſiſſimè *c. ſignificâſti. De eo, qui duxit in matrimon.* ubi proponitur caſus, quo aliquis metu compulſus duxit uxorem, deinde propria ſponte aliud inivit matrimonium. Rogatus igitur Pontifex, quodnam ex iſtis validum eſſet? Reſpondit: *Si conſtiterit, quòd tanta vis illata fuerit, quòd non ſponte in primam conſenſerit, propter hoc non dimittes, quin ad aliam, quàm poſteà in uxorem accepit, revertendi liberam tribuas facultatem.*

Ex quibus verbis manifeſtè conſtat, priùs matrimonium ratione metûs injuſtè illati ad extorquendum illud, fuiſſe omninò invalidum, atque irritum; aliàs non daretur libera facultas permanendi in poſteriore matrimonio, ſed hoc prorsùs invalidum eſſet.

Hæc doctrina usque adeò indubitata eſt Authoribus, ùt multi ipſorum (quorum ſententiam & ego defendi) conjugia ex tali metu inita tradant ipſo jure naturæ nulla atque irrita eſſe. Ratio mea eſt, quia matrimonium non tantùm dicit corporum conjunctionem, ſed præcipuè animorum, cùm ſit vinculum quoddam mutui amoris, atque perpetui: ergò ex natura rei debet eſſe ple-

nè

nè, & perfectè voluntarium absque admixtione involuntarii. Tum quia matrimonium ſecum affert vinculum perpetuum, & humana poteſtate indiſſollubile: ergò eſt contra ejus naturam conſenſus coactus metu gravi injuſtè incuſſo extortus, utpote repugnans huic perpetuitati, cùm nihil coactùm ſit perpetuò durabile. *Nec dicas*: Metus gravis injuſtè incuſſus ex alio fine, quàm ad extorquendum matrimonium non irritat matrimonium: ergò etiam metus gravis injuſtè incuſſus ad illud extorquendum. Conſequentia patet; quia ubique datur admixtum involuntarium. Reſp. negando conſequentiam, & diſparitas eſt: quia, quando metus non incutitur ad extorquendum conſenſum matrimonii, conſenſus non vitiatur injuriâ, & ſic non procedit propriè incuſſus ab agente extrinſeco, ſed ùt electus ab ipſomet operante, tanquam medium ad evitandum grave malum ob alium finem minitatum. Deinde (ut obviem alii objectiunculæ) inter alios contractus, ùt v. gr. emptionem, venditionem, &c. qui ſunt jure naturæ validi, etiamſi fiant ex metu injuſtè incuſſo, & inter matrimonium ex metu gravi injuſtè incuſſo contractum, eſt magna diſparitas; quia alii contractus ſunt ex natu-

ra

Digitized by Google

ra ſua reſcindibiles, & poſſunt à judice reſcindi, ſi contrahentes velint à contractu recedere, quod in contractu matrimonialia jure divino indiſſolubili fieri non poteſt. Aſt, quid moror? ſive enim jure naturæ, ſive jure Eccleſiaſtico (quod utrumque probabile eſt) invalidum ſit, praxis non quærit. Unde pro praxi ex aſſignatis quatuor conditionibus

Collige primò: validum eſt matrimonium concubinarii, qui ex timore mortis aut inferni in morbo contraxit matrimonium cum concubina.

Collige ſecundò: validum eſt matrimonium initum ab eo, quem medicus dixit periturum ob humoris abundantiam, nisi uxorem duceret.

Collige tertiò: validum eſt matrimonium ejus, qui condemnatus ad mortem, ut evadat ſupplicium, ducit meretricem, aut aliam fœminam juxta morem, aut ſtatutum aliquarum regionum; vel ſi detruſus in carcerem contrahat cum filia præfecti carceris, ut hoc modo ſe vinculis eximat, dummodò in carcerem non ſit ex hoc fine conjectus, ut matrimonium extorqueretur.

Collige quartò: validum eſt matrimonium, ſi deprehenſus in ſtupro à patre, vel conſan-

ſanguineis puellæ, ipſe volentibus eum interficere, ſponte, & à nemine coactus offerat matrimonium cum deflorata, ut evadat mortem. *Lege ſecundam conditionem, & rationem pro iſtis caſibus habuiſti.*

Collige quintò: validum eſt matrimonium, ſi pater deprehendat juvenem in turpi facinore cum ſua filia, eique minitetur, quòd nisì corruptam ducat, eundem velit reum agere coram judice: in quo tamen caſu excipit Bonacina *q. 3. de impedimentis matrim. pu. 8. N. 11.* nisì filia voluntariè conſenſerit in fornicationem; ſic enim non erit validum matrimonium celebratum ex metu accuſationis, ex qua timeatur grave damnum, quia ſtuprator virginis conſentientis non dedit cauſam incutiendi ſibi metum ob culpam, propter quam licitè compelli poſſit ad matrimonium: nec enim tenetur conſentientem ducere, quia volenti non fecit injuriam, nec factum eſt ſub promiſſione conjugii.

Collige ſextò: validum eſt matrimonium illius, qui cum una contraxit ſponſalia, voléns que ab iis ſinè cauſa legitima reſilire, ab Eccleſiaſtico judice ea implere compellitur, matrimonium ineundo, intentata eidem, nisì obediat, excommunicationis cenſurâ.

Collige

Digitized by Google

Collige ſeptimò: validum eſt matrimonium, quod plectendus capite ob homicidium legitimè probatum contrahit cum uxore vel filia defuncti, ſi hoc facienti promittatur impunitas. *Pro horum caſuum ratione vide conditionem tertiam, quæ ſufficiens eſt penetranti, ad hoc ut brevitati conſulam*

Collige octavò: validum eſt matrimonium, ſi virgo capta à latrone minitante mortem, niſì det centum aureos, velit ipſum in maritum accipere, & re ipſa contrahat. Aliud foret dicendum, ſi mortem minaretur puellæ, niſì det vel mille aureos, vel ſe accipiat in maritum; quia, licèt hoc modo eam non adigat determinatè ad matrimonium, adigit tamen ad utrumque membrum ſub disjunctione, ità ut reſpectu utriusque in confuſo injuſtè metum incutiat.

Collige nonò: validum eſt matrimonium, ſi Cajo te mactare volenti ob illatam injuriam, ut eum tibi placatum reddas, nihil de matrimonio cogitanti dicas: *ducam tuam filiam, ſi mihi vitam dones. Rationem horum & ſimilium ſubminiſtrat conditio quarta ſuprà.* Ex quibus ſit reſolvendus ſequens

CASUS

CASUS.

ORinga divitis ruſtici filia, impraegnata à viro cui nubere non poterat, prolem peperit. Propinqui, praecipuè frater, qui bona paterna locò decrepiti patris adminiſtrabat, & affinis ejusdem, qui alteram ſororem habebat in conjugio, probrum, quod in totam familiam redundaret, deteſtati, ut proli & matri conſulerent, Torello juveni è ſuo famulatu perſuadent, ut ipſe ſe prolis iſtius patrem nominaret, paratum ducere defloratam: ſed hunc averſabatur Oringa, & omni modô repugnabat. Inſtabant ex altera parte frater, & affinis, extrema omnia minitati, niſi annueret, ſe eam negata penitùs omni dote, è patriis aedibus exturbaturos, nec deſtituros ab ea divexanda, & executione ſuarum minarum, donec in oblatum conjugium conſentiret; quae cantilena, cùm miſerae indies recantaretur, omnisque inſuper fugae occaſio eſſet intercluſa ob hybernantes circumquaque milites, & hyemalis temporis acre frigus, adeo, ut in itinere, & prolis, & propriae vitae ſubitura fuiſſet periculum, viribus è puerperio necdum benè firmatis, tandem tot preſſa anguſtiis paratam ſe oſtendit ipſorum voluntati obſequi, ſicque adacta eſt ad celebranda ſponſalia cum obtruſo ſibi Torello in domo Parochiana. Quo animo eſſet ad iſta, ex eo patuit, quod, cùm à

Paro-

Parocho moneretur, ut, quæ actura eſſet, benè perpenderet; vinculum induci matrimonio, quod ſola morte ſolveretur; aliud ipſa non reſponderit, quàm, ſi liberum mihi foret, nunquam ſanè induerem iſtud vinculum: Nec aliter locuta eſt vicino cuipiam ſub veſperum nuptias præcedentem, his verbis inter copioſè defluentes lachrymas: mi DEUS! *cras ibo ad nuptias, mallem educi ad ſupplicium: idémque repetiit ipſo nuptiarum die. Quæ omnia teſtibus probata ſunt: à nuptiis verò ſic contractis nunquam deinceps adduci potuit, ut inviſo ſibi conjugi cohabitaret; verùm deſerta denique paterna domo, ipſo adhuc brumali tempore aſſugit cum infante, etſi aliàs legitimam mille florenorum ſperare potuiſſet; abiitque mendicatum, non ſinè valetudinis ſuæ, & prolis periculo.* Et reſolvendo

Dico, matrimonium inter *Oringam* & *Torellum* fuiſſe invalidum & nullum. *Ratio*: quia plurima aderant & magna mala, quæ meritò poterant Oringæ gravem metum incutere, & ad contractûs irritationem ſufficere. *Nec dicas*: Oringa denique conſenſit. Reſp. non ſufficere ſimplicem conſenſum, ſed requiri plenam ſecuritatem & libertatem, ùt eleganter oſtendit Barboſa *in votis deciſivis* L. 2. *voto* 16. N. 2. *& ſequentibus*, adeò, ut ſi voluntas adſit, & non libertas, dici

dici nequeat ſatisfactum diſpoſitioni juris, nec poſſit matrimonium ità celebratum ſubſiſtere: libertas autem & conſenſus adeſſe nequit, ubi metus, & coactio intercedit; ergò &c. *Nec iterum dicas*: Oringa habuit ſpontaneam voluntatem, quia dixit in facie Eccleſiæ ſe ſponte conſentire. Reſp. hæc verba tempore metûs prolata, metum non purgare, ſed eſſe effectus ipſius metûs & perturbationis, ùt iterum oſtendit Barboſa *L. 1. voto 1. N. 108.* Hìc certè metus extorſit iſta verba, nunquam proferenda, ſi atrocia mala non timuiſſet. Tum quia Oringam non habuiſſe conſenſum ex eo colligitur, quòd nunquam adigi potuerit, ut ſponſo ſibi obtruſo cohabitaret; unde iterùm timere conſtanter debuit, & ante, & poſt nuptias peſſimam tractationem, verbera, continuam aſperitatem, exturbationem è paternis ædibus, amiſſionem legitimæ & omnium bonorum, quorum privatio major pœna eſt, quàm ipſius vitæ: juxta Baldum *in L. Certa C. de jure fiſci.* Cùm privato omnibus bonis, mors ſit ſolatium, & vita ſupplicium. Præelegit tamen etiam hæc damna graviſſima, amiſſionem patrimonii, exilium, & mendicitatem non ſinè periculo ſuæ vitæ, & prolis, potiùs, quàm ut in obtruſum ſibi conjugium ali-

Digitized by Google

quando conſentiret; fugam autem poſt factam deſponſationem pro manifeſto, & urgente ſigno, quòd non conſenſerit voluntariè in talibus circumſtantiis agnoſcit Barboſa *L. 1. voto 1. N. 68.* qui plura ejusmodi conjugia, circa ea conſultus, pro irritis, ac nullis declaravit in citato libro; ergò etiam in noſtro caſu matrimonium inter *Oringam* & *Torellum* fuit nullum atque irritum.

Sed quid? Si noſtra Oringa non coacta jurare, juráſſet, ſe ratum ſemper habiturum hoc matrimonium, ex metu initum, validabitúrne? Reſp. negativè. Ratio eſt: quia de ſubſtantia matrimonii eſt conſenſus omninò ſpontaneus, & plenè liber: atqui per tale juramentum non ſuppletur defectus ſpontanei, & liberi conſensûs, & quanto tempore metus durat, ex quo contrahitur matrimonium, perſonæ ad contrahendum inhabiles ſunt, ſicut ſunt inhabiles ad contrahendum clandeſtinè ex decreto Eccleſiæ talia matrimonia irritantis: ergò ſicut hi non redduntur habiles per juramentum adjectum: ità neque efficiuntur habiles ad contrahendum, qui adiguntur ex metu, conſequenter per juramentum non validatur matrimonium metu initum. Tum, quia juramentum ſequitur naturam actûs, ſuper

quem

quem cadit, & ſortitur conditiones illius *L. fin. C. de non numer. pecun.* ſed matrimonium ex diſpoſitione juris habet hanc tacitam conditionem, ſi adſit liber conſenſus; ergò eandem conditionem habet juramentum, conſequenter juramentum nihil operatur, nullámque inducit obligationem, aut firmitatem matrimonii, ſi non adſit liber conſenſus.

Sed quid? Si Oringa poſt contractas nuptias cohabitâſſet Torello, aut cognita ab eo fuiſſet, matrimonium ratione metûs priùs invalidum, fuiſſétne per hoc ratificatum & confirmatum? Reſp. cum communi doctrina, convaleſcere per iſta matrimonium, ſi ſponte fiant: unde loquendo de cohabitatione, eo ipſo, quòd mulier metum paſſa, non recedat à viro, cùm poſſet, cenſetur ſponte in matrimonio permanere: ergò conſenſus antè vi extortus tranſit in conſenſum liberum per ſpontaneam cohabitationem ſubſequentem: ídque probatur ex *C. ad id. 21. de ſponſal.* ubi jubetur redire quædam ad virum, cui invita quidem nupſerat, ſed anno cum dimidio cohabitavit; ex quo Authores paſſim requirunt, ut cohabitatio ſit diuturna; neque tamen neceſsè eſt, ut ea ſit unius anni cum dimidio, nam ibi narratur

Digitized by Google

ſola facti contingentia, non verò certum tempus præſcribitur, ſed id definiendum relinquitur arbitrio prudentis judicis, conſiderata fugiendi opportunitate, & habitationis morâ. Hìc autem notes velim Lector, iſta procedere ſolummodò in foro externo, quæ enim non aufugit à marito, cùm poſſet, ſed ei quietè cohabitat, præſumitur cohabitare affectu maritali, tantáque eſt hujus rei præſumptio *Juris & de Jure*, ut etiamſi clarè probari poſſit, ſe ex metu injuſtè incuſſo contraxiſſe, ejus probationes non admittantur: in foro autem conſcientiæ nulla temporis mora ſufficit, ſi etiam ſublata omni metûs cauſa, & ex integro ceſſante, animus ratificandi defuit. Ità Sanchez, Navarr. Wagnereck. *in C. ad id. de ſponſ. Not. 3. ad finem.*

Quòd verò ratificetur matrimonium ex metu priùs invalidum per ſupervenientem copulam; patet ex *C. is, qui fidem. De ſponſal.* & ex *C. inſuper. 4 qui matrim. accuſare poſſunt*: quia præſumitur hæc habita fuiſſe affectu maritali; ſi autem iſta habeatur animô merè fornicariô, ſive non conjugali, certum eſt matrimonium in foro conſcientiæ non confirmari, quia ſic nullus eſt conſenſus in matrimonium, ſinè quo hoc ſtare nequit.

Cæte-

Digitized by Google

Cæterùm bene notandum: tria requiri ad hoc, ut matrimonium ex metu priùs invalidum ratificetur per cohabitationem, vel ſupervenientem copulam, & convaleſcat. *Primum* eſt; ut matrimonium hoc modo ratificans ſciat, id, quod ex metu contractum eſt, fuiſſe nullum, & invalidum. Ratio: quia ſi errore ductus credat valuiſſè, ſicque cohabitaverit, vel conſummaverit, non ratificatur; cùm error ſit contrarius conſenſui. *L. ſi per errorem ff. De jurisdict. Secundum* eſt, ut copula ſubſecuta vel cohibitatio ſpontanea fuerit, non verò metu extorta. *Tertium* eſt; ut cohabitatio, vel copula ſubſequatur ceſſante cauſà timoris antecedentis. Ratio: quia durante cauſa metûs nunquam ratificatur matrimonium, quia ſemper credimus etiam metum durare. Ità Sanchez. Conninck. Tann. Gobat. Bonac. Sporer &c.

Accedit, quòd, licèt per ſpontaneam cohabitationem, aut copulam affectu maritali habitam, alióſve actus, qui indicare poſſunt ſufficientem conſenſum, revalidetur matrimonium etiam ſinè Parocho, & teſtibus, quando metus, aliúdve impedimentum penitùs occultum eſt; hodie tamen poſt Tridentini Concilii decretum *S. 24. C. 1. de reform. matrim.* quando conſtat de tali metu

ac conſequenter de nullitate matrimonii, non ſufficit ejusmodi ſecreta ratificatio, ſed ut conjugium reddatur validum, debet de novo contrahi coram Parocho, & teſtibus. Conſequenter in caſu noſtro, ubi de gravi metu Oringæ palam conſtabat, ſpontanea etiam cohabitatio, vel conjugalis copula validum reddere non potuiſſent matrimonium ob metum nulliter contractum.

ORDO.

IMpedimentum dirimens matrimonii, quod dicitur *Ordo*, eſt inhabilitas in ordine ad validè contrahendum matrimonium, orta ex ſuſceptione ſacri Ordinis. Ità noviſſimè definitum in Concilio Tridentino *Ss. 24. Can 9. ſi quis dixerit Clericos in ſacris Ordinibus conſtitutos &c. poſſe matrimonium contrahere, contractúmque validum eſſe, non obſtante lege Eccleſiaſtica, vel voto &c. anathema ſit.* Pro cujus clariori notitia

Sciendum, omnes SS. Ordinibus initiatos obligari ad continentiam, & matrimonium poſteà contractum irritum, nullúmque eſſe, tum ratione voti, quod ex præſcripto Eccleſiæ tenentur implicitè emittere, quando ordinantur; tum etiam ex lege Eccleſiaſtica ſpecialiter lata in reverentiam ſtatus Clericalis,

calis, quem oportet ab operibus carnis omninò eſſe ſejunctum; cujusmodi præcepta extant in *Can. 8. diſt. 27.* ubi Calliſtus II. ità præcipit: Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis, & Monachis concubinas habere, ſeu matrimonia contrahere, penitùs interdicimus, contracta quoque matrimonia ab hujusmodi perſonis disjungi, & perſonas ad pœnitentiam redigi debere juxta ſacrorum Canonum definitiones judicamus. Item *Can. Propoſuiſti. diſt. 82. c. à multis. De ætate & qualit. ordinan. &c.*

Ut autem ſacer Ordo inducat impedimentum dirimens neceſſè eſt, ut validè ſit ſuſceptus, nam invalidè ordinatus ob defectum aliquem ſubſtantialem v. g. quia Ordinans finxit ſe Epiſcopum, vel quia Ordinandus non habuit intentionem ſuſcipiendi Ordines, ad nihil obligatur, potéſtque validè & licitè contrahere matrimonium, cùm nec ſimplici quidem voto caſtitatis teneatur. *Ratio*: quia iſte primariò intendit SS. Ordines: vovere autem caſtitatem ſolùm intendit ſecundariò, & dependenter à ſacris Ordinibus: atqui Ordines nulli ſunt; ergò nullum etiam eſt votum; nam principali ceſſante acceſſorium quoque ceſſat. *L. Cùm principalis 178. ff. De R. J.* Ità Sanchez *L. 7.*

 diſp.

Digitized by Google

diſp. 27. N. 13. & alii. Quibus breviter præmiſſis reſolvendus eſt ſequens

CASUS.

ERneſtus, vir nobilis, multarum prolium Pater, prævidens viâ matrimonii per filios ſuos contrahendi magnam bonorum ſuorum iacturam ſtatui ſuo, ſuæque nobili familiæ plurimùm obſuturam, acceſſit Epiſcopum, ſupplex, ut ex filiis ſuis Ermengaudum, annos diſcretionis nondum habentem, ordinaret, nempe, ùt intendit hic Erneſtus, nè Ermengaudus tempore ſuo uxorem ſibi copulare poſſet, utpote ſacris Ordinibus initiatus: quod & factum ab Epiſcopo in gratiam Erneſti, cui ſingulari amicitiæ fœdere fuerat conjunctus. Aſt ad pleniorem ætatem perveniens Ermengaudus, nonniſì de nuptiis cogitat, ſèque nullo laborare impedimento prætendit, quo minùs exoptato fine potiri poſſit. Ante reſolutionem hujus casûs

Sciendum primò, Ermengaudum (quod idem de quibusvis infantibus ante uſum rationis, & annos diſcretionis dicendum) licèt illicitè, & cum graviſſimo peccato ex parte ordinantis, validè tamen fuiſſe ordinatum, & ſacris ordinibus initiatum. Ità communis.

Sciendum ſecundò, Ermengaudum ſic ordinatum

natum non fuiſſe obligatum ex voto. Ratio hujus eſt: quia votum eſt actio perſonalis, ejúsque obligatio non poteſt merè ab extrinſeco imponi: atqui Ermengaudus non fuit capax talis actionis: ergò. Quare quæſtio tantùm eſt, an ex obligatione, ex præcepto, ſeu conſtitutione Eccleſiæ ſacer Ordo ſuſceptus ante uſum rationis dirimat matrimonium, & obliget ad caſtitatem? & reſolvendo

Dico, Ermengandum potuiſſe validè & licitè matrimonium inire. Ità ſententia communis, & vera, quam tenent Bonac. aſq. Sanch. Conninck, Palao, Perez, Sporer, Præpoſit. & innumeri alii. *Ratio*: quia ſicuti Chriſtus voluit continentiam ſolùm eſſe conſilii, & neminem ſinè ſuo conſenſu ad eam obligari; ità ſimiliter Eccleſia neminem vult alia ratione ad eam obligare, præſertim immeritum, cui fieret injuria, ſi ei omninò invito tantum onus imponeretur: ergò potuit Ermengaudus noſter validè & licitè contrahere matrimonium.

Nec dicas: ex regula juris 42. in 6. *acceſſorium naturam ſequi congruit principalis*: atqui principale hìc ſunt character & poteſtas Ordinis, obligatio autem ad continentiam eſt acceſſorium: ergò cùm illa validè collata

 ſint,

ſint, hæc etiam valida erit, conſequenter Ermengaudus ſic ordinatus ad caſtitatem obligatur. Reſp. Diſt. maj. acceſſorium naturam ſequi congruit principalis, in caſu, quo *principale* liberè & voluntariè fuit ſuſceptum conc. ſecus nego maj. & diſt. min. atqui principale hìc ſunt caracter, & poteſtas Ordinis, & liberè ac voluntariè ſuſcepta; neg. abſque libertate & voluntarietate ſuſcepta, conc. min. & neg. conſequ. quia obligatio ad continentiam tunc ſolùm ſequitur ut aliquid acceſſorium ſacros ordines, validè ſuſceptos, quando hi liberè & voluntariè ſuſcepti ſunt; quod in Ermengaudo noſtro, utpote infante ante uſum rationis ordinato factum non eſt: ergò potuit perveniens ad annos diſcretionis in Ordine ſuſcepto permanere, & eligere ſtatum Eccleſiaſticum, vel ſi maluerit, ſæcularem, & liberè uxorem ducere, atque hæc ipſi optio danda eſt.

Sed quid in caſu, quo Ermengaudus poſt annos diſcretionis, ſed ante annos pubertatis, nempe ante annos quatuordecim expletos, ſuſcepiſſet Ordinem ſacrum, ſciens eſſe annexum votum caſtitatis, teneretúrne ad caſtitatem, conſequenter inhabilis ad contrahendum matrimonium? Reſp. affirmativè, tum ex præcepto Eccleſiæ, quod Ordi-

Ordini annexum eſt, tum ratione ſolemnis voti caſtitatis, quod ordinatus tacitè emittit, ùt difficulter negari poteſt; eo ipſo enim, quod ponitur habere uſum rationis, ſufficienter intellexit, in quem ſtatum aſſumeretur, & quæ eidem obligationes annexæ eſſent: ergò re ipſa has obligationes contraxit, ut teneatur ad continentiam, ſitque deinceps inhabilis ad nuptias contrahendas tum ratione Ordinis validè ſuſcepti; tum ratione voti, quod tacitè emiſit; & hujus ratio eſt: quia, qui principale liberè eligit, vult etiam id, quod novit eſſe acceſſorium: ſed principale eſt Ordo, acceſſorium verò eſt votum, & obligatio ad continentiam: ergò qui vult liberè ſuſcipere Ordines, vult etiam obligationes Ordini annexas, ſcilicet votum caſtitatis, & inhabilitatem ad nuptias. *Nec dicas:* votum ſolemne religionis ante pubertatem emiſſum irritum eſt, *C. ad noſtram. de regular.* imò poſt Tridentinum Concilium *Seſſ. 25. C. 15. de regular.* irrita eſt Profeſſio facta ante annum decimum ſextum completum : ergò idem dicendum eſt de voto continentiæ ordinati ante annum decimum ſextum, quia eadem hìc militat ratio ſcilicet levitas ingenii puerorum, qui facilè inducuntur, ut aliquem ſtatum amplectan-

Digitized by Google

plectantur, cujus eos poſteà pœniteat. Reſp. Nego conſeq. quia non conſtat pariter irritari à jure votum continentiæ, quod ordinis ſuſceptioni annexum eſt, neque iſtud infertur ex irritatione profeſſionis religioſæ; quia non eadem irritandi utrobique ratio eſt; ſiquidem profeſſio eſt ſtatus longè difficilior, & plura ſecum trahit gravia onera, puta: alia duo vota, paupertatis, & obedientiæ, clauſuram, magnum vitæ rigorem &c. qualiter ſacer Ordo Clerici ſæcularis non imponit, ideòque multò maturiore deliberatione opus eſt in religione capeſſenda, multóque major ratio eſt irritandi Profeſſionem religioſam pro ea ætate puerili, quàm ſit ad annullandum votum in ſacro Ordine. Ità Bonac. Conninck. Palao, Hurtad. Sot. Sayrus &c.

Pro coronide hujus impedimenti *notandum;* quod hucusque dicta procedant de matrimonio poſt validè ſuſceptos ſacros Ordines (puta Subdiaconatum, Diaconatum, Presbyteratum, non verò quatuor minores) contrahendo, cujus ſacer Ordo, votúmque ſolemne in eo tacitè emiſſum, eſt impedimentum dirimens, non verò de matrimonio ante validè ſuſceptos Ordines jam priùs contracto; quia ùt clarè deciditur in *Extra-*

vag.

Digitized by Google

vag. un. Joannis XXII. de voto. ubi dicitur: quod votum ſolemnizatum per ſacri Ordinis ſuſceptionem dirimat quidem matrimonium poſt contrahendum, non autem matrimonium anteà contractum, etiamſi id per carnis copulam conſummatum non ſit, eò quòd nec jure divino, neque per SS. Canones reperiatur hoc ſtatutum; & hæc eſt differentia inter Ordines ſacros & Profeſſionem religioſam; quòd profeſſio diſſolvat matrimonium non ſolùm ſequens, ſed etiam antecedens, ſi tamen conſummatum non fuerit, utì de voto dictùm eſt; Ordines verò majores diſſolvant tantummodò matrimonium, quod contrahitur poſt validam ſuſceptionem ipſorum Ordinum. Cur autem Eccleſia potiùs ſtatuerit, ut per ingreſſum in religionem dirimeretur matrimonium ratum, quàm per ſuſceptionem ſacrorum Ordinum; hæc ratio aſſignari poteſt, quòd, dum quis per Profeſſionem ſe totum tradit religioni, cùm ea quodammodo ſpirituale aliquod matrimonium contrahat, cui meritò cedere debet carnale priùs initum, imò ùt Engl *in Manuali Paroch. p. 3. c. 5. §. 5. de ordine. num. 3.* Ingrediens religionem cenſetur ſpiritualiter mundo mortuus, ùt dicitur *in c. placuit. 16. q. 1. junctâ gloſſâ V. mortuus.* & ab omni

omni conſortio prioris ſponſæ in perpetuum ſeparatur; non ità Clerici in ſacris conſtituti pro mundo mortuis habentur; quia retinent propriæ voluntatis arbitrium, & bonorum ſuorum dominium, ac remanent in ſæculo, ſuíque juris, nec ità ſeparantur à ſua conjuge, omnémque ejus curam deponunt, ut priſtinus ardor non aliquando reviviſcat, & exponantur tentationi mutata voluntate ad relictam uxorem revertendi.

LIGAMEN.

IMpedimentum dirimens matrimonii, quod dicitur *Ligamen*, eſt vinculum viri cum uxore poſt contractum matrimonium legitimum, ſive conſummatum, ſive tantummodò ratum. Hinc nullus ſtante matrimonio cum alia, poteſt aliud conjugium cum alia inire. Hoc enim jure divino prohibetur, ùt patet ex definitione Concilii Tridentini *Seſſ. 24. Can. 2. Si quis dixerit licere Chriſtianis plures ſimul habere uxores, & hoc nulla lege divina eſſe prohibitum, anathema ſit.* Conſequenter illicitum eſt Chriſtiano tranſire ad ſecundas nuptias, eæque nullæ ſunt, niſi prioris matrimonii vinculum ſolutum ſit.

Igitur ad hoc, ut poſſit conjux ſecundum matrimonium contrahere, debet eſſe certus

de

de morte prioris conjugis, nec ſufficit habere moralem probabilitatem, ſeu cauſam rationabilem credendi conjugem probabiliter obiiſſe; ità enim hac ſuper re conſultus Pontifex reſpondet *in C. Dominus. de ſecundis nuptiis*: ut nullus amodò ad ſecundas nuptias tranſire præſumat, donec ei conſtet, quòd ab hac vita migraverit conjux ejus. Ubi benè notanda eſt vox *conſtet*, quæ certitudinem importat: ergò non ſufficit ſola probabilitas, ſed requiritur certitudo. Cujus ratio eſt: quia cùm in ſecundo matrimonio contrahendo ſit periculum gravis peccati, & injuriæ erga priorem conjugem, ſi fortè adhuc vivat, ſinè habita certitudine ineundum non eſt, maximè cùm in dubio ſit melior conditio prioris mariti, pro quo ſtat poſſeſſio; ſufficit tamen adeſſe certitudinem moralem, hoc eſt, talem certitudinem, qua vir prudens attentis circumſtantiis certus redditur, vel ùt explicat *Leſſ. L. 2. de juſt. C. 10. N. 39.* moraliter certum eſſe id cenſetur, quod prudenter ità creditur, ut contrarium nullo modo videatur probabile.

Quia verò ſic quoque adhuc difficile eſt determinare, quantum requiratur, ut talis indubitata certitudo habeatur, poſſitque

ea-

eapropter permitti tranſitus ad ſecundas nuptias, ideò ſequentia benè ſunt ponderanda.

Primò non ſufficit unus teſtis etiam oculatus & de viſu, dicens conjugem eſſe mortuum; quia unus teſtis certum nuntium afferre non poteſt, cùm clament jura, vocem unius vocem eſſe nullius. *L. jurisjurandi V. ſimili modo C. de teſtibus. & C. veniens de teſt. & atteſt. in fine.* Tum, quia teſtimonium unius, niſì alias conjecturis adjuvetur, non plenè probat, ſed ſemiplenè, nec generat judicium certum, ſed ſolùm probabile: ergò unus teſtis etiam oculatus non ſufficit, præſertim, cùm ejusmodi teſtimonium ſæpiſſimè fallacem auctorem habere ſoleat, ùt experientia docet. Quod tamen limitant Sanch. Conninck. Bonac. Palao. Perez & Tannerus *tom. 4. diſp. 8. q. 4. n. 107.* ut, quando locus nimiùm diſtat, ut aliæ probationes haberi vix poſſint, tunc aliquando ſufficere queat aſſeveratio unius teſtis, conſiderata qualitate perſonæ, quæ credi poſſit eſſe fide digna, quæque certum deponere ex ipſo modo deponendi præſumi queat, quod judicis arbitrio & prudenti judicio committendum eſt.

Addunt

Addunt meritò *Bannac.* & *Rebellus*, poſſe mulierem ſecluſo ſcandalo contrahere matrimonium, ſi de morte ſui mariti certa ſit, quamvìs eam probare nequeat; quia fortè ſola in ejus obitu interfuit, tunc enim ceſſat periculum adulterii &nullitatis matrimonii: in foro tamen externo ad nuptias non admittetur, nisì mortem probare queat.

Secundo neque plures teſtes ſufficiunt, ſi ſint ſolummodo teſtes de auditu, quia etiam hi nullo modo rem certam reddunt.

Tertio neque ſufficiens eſt ipſa fama de morte conjugis; quia & hæc utpote orta plerumque ab auctore incerto, & ſæpè fallaci certitudinem moralem non præſtat, nisì tamen cum uno teſte de viſu, vel etiam cum fama concurrant alia adminicula, veriſimilia mortis indicia, & conjecturæ non leves, quæ prudentis arbitrio moralem certitudinem faciant, qualia ſunt. quòd maritus jam ſenex aut æger, cùm poſſet, & prout fortè promiſit, longo tempore non redierit; quòd bellum ſecutus, vel navigationem periculoſam ingreſſus ſit, & navis, in qua erat maritus, veroſimiliter dicatur eſſe ſubmerſa, aut tota cohors ab hoſte deleta, quod mortuus fuerat in loco, ubi peſtilentia graſſabatur, quâ conſtat plurimos periiſſe, hæc

H &

& ſimilia, ſi concurrant cum dictis in diuturna abſentia, moralem dubitationem excludunt, & moraliter certam probationem faciunt.

Item: Mortem conjugis moraliter certam reddunt per ſe, & absque hoc, quòd adminiculis fulciri debeant, ſequentia. *Primò*: quando de obitu deponunt duo teſtes de viſu; nam regulariter in aliis quoque ſufficiunt duo teſtes ad plenam fidem faciendam *per L. Ubi numerus. ff. de teſt. & C. in omni de teſt. & atteſt.* Ipséque Chriſtus id approbat *Matth. 18.* ubi ait: quòd in ore duorum, vel trium teſtium ſtet omne verbum. *Secundò*: quando de morte, vel quòd à ſe ſepultus ſit, teſtatur Parochus, quia hic eſt quaſi Notarius Publicus in ejusmodi negotiis, & propterea ejusdem liber, ſive regeſtum in quæſtionibus de baptiſmo, ætate, nuptiis, & ſimilibus plenam fidem facit. *Tertiò*: quando de obitu legitimus Magiſtratus, ſive Eccleſiaſticus, ſivè politicus, ſive denique militaris, vel Notarius publicus, aut alia ſimilis perſona in publica authoritate conſtituta fidem faciat per ſcripturam. In his tribus caſibus poteſt Parochus, nulla petita licentia Ordinarii, & absque illius præſcitu, matrimonio aſſiſtere, eósque novos conjuges licitè

citè copulare, niſì in Diœceſi aliud præſcriptum ſit.

Si verò Parochus, aut contrahere volentes dubitant, an adſit ſufficiens certitudo moralis, Ordinarium conſulere, & ejus reſponſum expectare debent; ad hunc enim pertinet, attentis circumſtantiis in dubio judicare, an adſit ſufficiens certitudo de morte conjugis necne? qua de cauſa ritualia quædam Diœceſana rectè admonent Parochos, nè facilè ad contrahendum matrimonium admittant vagos, & peregrinos, aut qui incertas ſedes habent, non habita priùs Ordinarii licentia: neque item eos, qui anteà conjugati fuerant, ùt ſunt uxores militum, & captivorum, vel aliorum, præſertim peregrinantium, niſì habita certa notitia de morte prioris conjugis, aut in caſu, quo non adſunt indubitata mortis teſtimonia, cauſa ad Ordinarium deferatur, ejusdémque judicium & conſenſus requiratur, nè alioquin ex incentivo libidinis, ac poſtpoſito DEI timore faciliùs contingat, ſecundas nuptias iniri, abſente conjuge adhuc in vivis ſuperſtite. His breviter præmiſſis reſolvendus eſt ſequens

Digitized by Google

CASUS.

EMerentia uxor Titii, hunc maritum ſuum amiſit olim in Hungaria, ubi militem egit, & interfuit pugnæ, qua infeliciter pugnatum eſt contra Turcas, & è qua nec ipſe rediit, nec, quò devenit, compertum eſt; ità Emerentia pluribus annis manſit orbata viro, & ob hoc infelicior, quòd affirmare non poſſet ſe eſſe viduam. Tandem poſt annos octodecim præterlapſos teſtatur ipſi ſub juramento Cajus ſe audiviſſe ex Leobino, Titium, cui Comes iſte fuerat, in expeditione bellica, cecidiſſe in prælio, cujus ſepulturæ, finitâ pugnâ ſe ipſum adſtitiſſe. Hôc intellectô contraxit ipſa novum conjugium cum Sergio, eique pacificè convixit per biennium, duarum prolium mater effecta, quo tempore adeſt Titius è captivitate reverſus, quam integris viginti annis ſubſtinuit inter Turcas. Et reſolvendo

Dico: Emerentiam non potuiſſe tranſire ad ſecundas nuptias. *Ratio*: quia non adfuit certitudo moralis, & ſufficiens probatio de morte Titii, ad hanc enim non ſufficit unus teſtis etiam de viſu, qualis datur in præfato caſu, de quo inſuper dubitari poteſt, an fuerit omni exceptione major, & vera elocutus ſit. Nec robur addit alter teſtis juratus de auditu, cùm aliud non referat, quàm quæ audi-

audivit ab uno hoc ipſiſſimo teſte oculato, cujus teſtimonium non prorsùs inſuſpectum eſt; ſed neque fama determinatè nuntiavit quidpiam de morte hujus conjugis, aut ſpecialem ſtragem illius cohortis, in qua is militaverat; nam ſolùm conſtat in genere, cum Turcis infeliciter pugnatum eſſe; evenire autem potuit, ut ex infauſto hoc prælio Titius fugâ elapſus aliò delatus ſit, vel in captivitatem abſtractus, quod re ipſa contigiſſe, eventus docuit. Unde crediderim multos ex Ordinariis non facilè daturos fuiſſe facultatem *Emerentiæ* ad novas nuptias tranſeundi, nisì alia adhuc accederent, v. gr. nisì obtinerentur litteræ à Duce illius legionis, ſub cujus ſignis militaverat Titius, quibus teſtaretur, à multis annis de iſto homine nihil conſtare, paſſimque ab ejus commilitonibus, qui adhuc ſuperſunt credi, eum occubuiſſe in infelici illo prælio, cùm poſt acceptam ſtragem, cui interfuerat, ampliùs non comparuerit.

Sed quid? ſi (utì factum eſt cum Emerentia) ob conjecturas admodùm probabiles, non tamen præſtantes ſufficientem certitudinem, mulier admiſſa ſit ad ſecundas nuptias, ſepararine debent tales conjuges? Reſp. negativè, ſi bona fide, & ſinè dolo

conjuncti ſunt, quamdiu non conſtat priorem maritum adhuc vivere, vel nisì deprehendatur, quòd interceſſerit mala fides, aut non nisì leviſſimæ, ac ridiculæ conjecturæ de fato mariti adfuerint, aut defacto adſint. De eo autem nemo eſt, qui jure dubitet, quia, ſi poſt matrimonium etiam optima fide ab utroque conjuge contractum acquiratur notitia, aut certitudo moralis, virum priorem eſſe ſuperſtitem, & adhuc vivere, abſtinendum, tunc ſi à toro conjugali, & omni carnali commercio, cùm hoc ſecundùm matrimonium nullum & invalidum ſit; proinde debet uxor, relicto hoc ſecundo, reverti ad priorem conjugem, eíque denuò cohabitare, & ſi reſiſtat, excommunicatione, aliísque gravibus pœnis ad hoc compelli poteſt: ùt conſtat ex C. *Dominus. De ſecundis nuptiis*: ubi dicitur: quòd ſi poſt de prioris conjugis vita conſtiterit, relictis adulterinis complexibus, ad priorem conjugem revertatur. Si autem prior maritus eam nolit recipere, ſecundi thorum nihilominùs deſerere debebit, & vitam cælibem agere. Proles interea, ſi quæ ex putatitio hoc ſecundo matrimonio, in facie Eccleſiæ præmiſſis denuntiationibus celebrato, procreatæ ſunt, in utroque foro habentur pro legitimis propter bonam fidem utrius-

Digitized by Google

utriusque parentis: imò etiam, ſi unus tantùm eorum bona fide contraxit cum ignorantia impedimenti; quia in favorem liberorum potiùs attendunt jura bonam unius, quàm alterius malam fidem *C. cùm inter 2. & Cap. ex tenore 14. qui filii ſint legitimi.* Cæterùm ſit pro clauſula hujus impedimenti

Quæras: an turca plures habens uxores, ſi convertatur ad fidem, obligetur tenere primam, & dimittere reliquas? Reſp. affirmativè: ratio: quia ſolùm primum matrimonium eſt validum; ſi prima velit cum conjuge fideli cohabitare ſinè injuria Creatoris. Aliàs poteſt ad ſui libitum primâ dimiſsâ unam ex aliis tenere, ſed cum ea debet de novo contrahere, ob invaliditatem prioris matrimonii.

HONESTAS.

IMpedimentum dirimens matrimonii, quod dicitur *Honeſtas*, ſeu *Juſtitia publicæ honeſtatis*, eſt inhabilitas certarum perſonarum in ordine ad validè contrahendum matrimonium, ortum habens ex ſponſalibus, & matrimonio rato tantùm. Pro quo impedimento dignoſcendo hanc ſerva regulam: *inter ſponſam ex una parte, & conſanguineos ſponſi ex altera parte, oritur impedimentum publicæ honeſtatis.* Hinc inter conſanguineos ſponſi &

conſanguineas ſponſæ hoc impedimentum minimè conſurgit. Ut autem agnoſcas, quoto gradu quisque diſtet à taliter ſibi propinquo, hæc eſto regula univerſalis: *Quoto gradu quis conjunctus eſt ſponſo in genere conſanguinitatis, eodem gradu junctus eſt ſponſæ in genere juſtitiæ publicæ honeſtatis*: & versâ rotâ: *quoto gradu quis conjunctus eſt ſponſæ in genere conſanguinitatis: eodem gradu junctus eſt ſponſo in genere juſtitiæ publicæ honeſtatis.*

In exemplo ſic: quia frater meus mihi junctus eſt in primo gradu, in linea conſanguinitatis, ideò eodem gradu propinquus eſt ſponſæ meæ in genere publicæ honeſtatis. Unde ſcire deſiderans, quoto gradu diſtet â me ſponſa avi mei, inquiro, quoto gradu ego diſtem à meo avo in genere conſanguinitatis, & conſultis ad hoc regulis pro computatione conſanguinitatis graduum, reperio, me & avum meum duobus gradibus diſtare in genere conſanguinitatis: ergò etiam ſponſa avi mei duobus gradibus diſtat à me in via juſtitiæ publicæ honeſtatis. Et ſic de reliquis.

Oritur autem hoc impedimentum primò ex ſponſalibus propriè talibus ſeu de futuro, & quidem ab initio omnimodè validis, & abſolutis, & quidem jure novo Conc. Trident.

dent. Seſſ. 24. Cap. 3. usque ad primum gradum incluſivè tantùm, ità ut ſponſus, qui contraxit ſponſalia cum Bertha, his quomodocunque diſſolutis non poſſit ducere ejusdem Berthæ matrem, ſororem, vel filiam. Tum viciſſim, ſponſa non poſſit nubere patri, fratri, vel filio ſui ſponſi.

Dixi notanter: *his quomodocunque ſolutis*, quia ſive diſſolvantur ſponſalia per mortem alterius ſponſi, ſive mutuo conſenſu, &c. Si fuerunt ab initio valida & abſoluta, impedimentum perpetuum inferunt; ratio: quia hoc impedimentum non pendet à voluntate contrahentium, ſed ex conſtitutione Eccleſiæ, licèt enim in fieri dependeat à conſenſu ſponſorum, ex eo nimirùm, quòd potuerint contrahere, vel non contrahere ſponſalia; at in facto eſſe, ſeu ex quo contraxerunt liberè ſponſalia, quibus ut validis annexum eſt jure Eccleſiaſtico hoc impedimentum, non dependet à voluntate, licèt hæc quomodocunque diſſolvantur.

Oritur hoc impedimentum ſecundò ex ſponſalibus impropriè dictis de præſenti, ſeu ex matrimonio rato, ſive valido, ſive invalido; dummodò non fuerit invalidum ex defectu conſensûs; & extenditur usque ad quartum gradum incluſivè. Ità *Conſtitutio*

Pii V. hac de re edita prima Julii 1568. quæ incipit: *ad Romanum Pontificem ſpectat;* ubi dicit ſua Sanctitas ad aures ſuas perveniſſe, quòd dubitetur à multis, an decretum Conc. Trident. quô ſtatùitur, ut deinceps impedimentum publicæ honeſtatis, ubi ſponſalia valida non fuerint, prorsùs tollatur, ubi autem valida fuerint, primum gradum non excedant: an, inquam, hoc decretum intelligatur de ſponſalibus de futuro, an verò etiam de matrimonio per verba de præſenti contracto, nondum conſummato, ad quam ità reſpondet: *decretum hujusmodi Concilii omninò intelligendum eſſe, & procedere de ſponſalibus de futuro duntaxat* (ſcilicet quoad primum gradum) *non autem de matrimonio contracto, ſed in eo durare adhuc impedimentum in omnibus gradibus, quibus de jure veteri ante prædictum decretum Conc. Trid. introductum erat;* atqui introductum erat usque ad quartum gradum: ergo &c.

Dixi notanter, *ſive valido, ſive invalido*: quia non eſt recedendum à jure antiquo, nisì aliter decernatur jure novo; ſed in antiquo *C. ſponſam de ſponſalibus, & C. acceſſit. de ſponſ. impuberum:* impedimentum hoc oriebatur ex matrimonio etiam invalido, dummodò non fuerit invalidum ex defectu conſenſùs, ergò &c.

Unde

Unde non oritur hoc impedimentum, ſi matrimonium ſit contractum, vel cum errore perſonæ, vel cum ignorantia qualitatis ſervilis, vel ex metu gravi injuſtè incuſſo, vel denique in amentia, ebrietate inducente exilium mentis. In his enim omnibus deficit conſenſus requiſitus ad valorem matrimonii. Econtra oritur ex matrimonio aliunde invalido, veluti ex impedimento voti, ſacri Ordinis, ligaminis, conſanguinitatis, affinitatis, criminis, quia hæc compatiuntur conſenſum.

Unde ſi contraxiſti matrimonium cum Bertha, omninò invalidum, hoc capite, quod priore tua conjuge ſuperſtite, Bertham adulteriô pollueris, eíque acceptanti fidem dederis de matrimonio poſt mortem conjugis contrahendo; quod eſt impedimentum matrimonii dirimens; *criminis* dictum; mortuâ deinde Berthâ (cum qua ſolùm in matrimonio rato vixiſſe, ſeu poſt contractum matrimonium eandem carnaliter non cognoviſſe hìc ſupponeris) nulli prorsùs conſanguinearum ipſius Berthæ usque ad quartum gradum incluſivè, ſinè diſpenſatione, poteris copulari; non quidem conſanguineis in primo & ſecundo gradu; quia his vî copulæ illicitæ, perfectæ tamen, cum Bertha exercitæ, factus es affinis, ùt patebit ex dicendis;

dis; ſicque impedimentum incurriſti affinitatis. Nec etiam conſanguineis in tertio & quarto gradu; quia vî matrimonii rati impedimentnm juſtitiæ publicæ honeſtatis cum conſanguineis Berthæ usque ad quartum gradum incluſivè contraxiſti, licèt matrimonium inter te, & Bertham omninò nullum fuerit & invalidum; ratio hujus liquet ex ſuprà dictis, quia non fuit invalidum ex defectu conſensûs, ſed criminis perpetrati causâ, quô ſuppoſito matrimonii valor non ſubſiſtit. Sic lege Eccleſiaſticâ ſtatuente.

Econtra, ſi Bertham duxiſſes, v. g. ex metu gravi injuſtè à cauſa libera ad hoc incuſſo (ſuppoſitô, quòd à te nec ante, nec poſt contractum matrimonii cognita fuiſſet) illa obdormiente, etiam matri, aut ſorori ejusdem Berthæ licitè, & validè copulandus fores: quia matrimonium priùs invalidum fuit invaliditate ex defectu conſensûs ortum trahente; quod taliter contractum impedimentum publicæ honeſtatis non inducit; cujus ratio tota, ſola lex eſt, quæ lectori diſparitatem inter ſponſalia quacunque ex cauſâ ab initio invalida, ac matrimonium ratum invalidum optimè aſſignat. Ex quibus ſolvendus eſt ſequens

CASUS.

Digitized by Google

CASUS.

Hermilla Amaranthi ſponſa de futuro, priusquam conjugium actu contraheretur. cæpit graviter ægrotare, infirmitate primò incognitâ, in phthiſin poſtmodùm degenerante, unde & ipſa cæpit à conjugio abhorrere, & ſponſus jam non ampliùs optare conjugem, quæ, ſi diutiùs ſuperviveret, continuò cum ægritudine conflictatura, vel, ſi malo invaleſcente, celeriùs conſumeretur, nimìs citò ſe viduum deſtitutura eſſet; facilè igitur conventum eſt, ut ſponſalia legitimè contracta mutuo conſenſu diſſolverentur. Nè porrò prorsùs recederet Amaranthus à familia ſibi exoptata novam paulò poſt elegit Philippinam, ſponſæ prioris conſobrinam, utpotè ex ejus matertera genitam, factámque mutuò futurarum nuptiarum promiſſionem ſequetur proximè contractus de præſenti. Jam quæritur, an inter Amaranthum, & Philippinam, utpotè conſanguineam prioris ſponſæ Hermillæ validè poſſit contrahi matrimonium? Et reſolvendo

Dico: Amaranthum ſinè ulla petita diſpenſatione potuiſſe uxorem ducere Philippinam è ſponſæ prioris matertera prognatam, Hermillæ conſobrinam; ratio: qui Philippina primum conſanguinitatis gradum, ad quem incluſivè tantùm impedimentum juſtitiæ

ſtitiæ publicæ honeſtatis vi ſponſalium extenditur, jam eſt egreſſa, utpotè in ſecundo gradu cum Hermilla, proinde à Tridentina ſynodo huic impedimento non ampliùs obnoxia. Aliud foret dicendum, ſi Amaranthus Hermillam ſponſam ſuam priorem cognoviſſet copula carnali perfecta; tunc enim inter Amaranthum & Philippinam fuiſſet affinitatis impedimentum, quod ſe ex copula illicita extendit usque ad ſecundum gradum incluſivè, de quo mox clariùs. Unde ſit

AFFINITAS.

IMpedimentum dirimens matrimonii, quod dicitur *Affinitas*, eſt inhabilitas certarum perſonaram ad validè contrahendum matrimonium ortum trahens ex carnali copula ſive licita, ſive illicita. *Pro cujus clariori intelligentia.*

Sciendum: totum affinitatis fundamentum conſiſtere in copula carnali, & quidem perfecta, ex natura ſua ad prolis generationem aptâ; ſivè deinde licita, ſive illicita, ſive voluntaria, ſive violenta, ſive altera perſona dormiente, ſive ebria, ſive inſana, dummodò perfecta, hoc eſt: cum immiſſione & receptione ſeminis intra vas naturale fœmineum,

neum, ſive arte humana, ſive diabolica, ſive cum penetratione clauſtri, ſive non: tota enim ratio, ob quam ex copula oritur affinitas, eſt, quòd ea mediante vir & fœmina una caro efficiantur, ac proinde ſanguis unius dicatur tangere, ſanguinem alterius, conſequenter conſanguinei unius fiant affines alterius.

Pro affinitate dignoſcenda, quæ hodie impedimentum inducit, hæc regula eſto: *ſolus maritus, vel vir cognoſcens copulâ perfectâ uxorem, vel fœminam, fit affinis conſanguineis uxoris, vel fœminæ cognitæ.* Et: *ſola uxor, vel fœmina cognita perfectâ copulâ fit affinis conſanguineis mariti, vel viri cognoſcentis.* Ratio: quia, cùm maritus & uxor, ſeu vir & fæmina adminiculô copulæ efficiantur una caro, ſanguis mariti, ſeu viri, dicitur tangere ſanguinem uxoris vel fœminæ; & versâ rotâ; ſanguis uxoris, vel fœminæ dicitur tangere ſanguinem mariti vel viri, ac proinde conſanguinei unius trahuntur ad quandam alterius cognationem, quæ affinitas nuncupatur.

Hinc inter conſanguineos mariti vel viri ex una parte, & conſanguineos uxoris vel fœminæ ex altera parte nulla eſt affinitas; ſive: quod idem eſt; conſanguinei perſonæ cognoſcentis non fiunt affines conſanguineis

neis perſonæ cognitæ, & viciſſim. Ratio: quia inter memoratas perſonas nullus intercedit nexus, adminiculô cujus colligentur. Unde ſua ſpontè fluit

Primò: filia uxoris ex alio matrimonio, aut ex fornicatione cum altero progenita poteſt nubere filio, aut fratri mariti.

Secundò: duæ ſorores poſſunt nubere duobus fratribus.

Tertiò: Pater & filius poſſunt ducere matrem & filiam.

Quartò: idem vir ſucceſſivè ducere poteſt duas viduas, quarum mariti fuerant germani fratres.

Quinto: poteſt aliquis in uxorem *accipere relictam à propriæ uxoris fratre*, hoc eſt:

Ego habeo uxorem, uxor mea habet fratrem, qui etiam habet uxorem. Uxore mea, ejúsque fratre mortuis ducere poſſum ſuperſtitem, nempe illam, quæ fuit uxor fratris uxoris meæ.

Porrò, ut agnoſcatur, quod gradu quisque diſtet ab affine ſuo. Hanc cape regulam generalem: *quoto gradu quis conjunctus eſt marito, vel uxori in genere conſanguinitatis; eodem gradu junctus eſt marito vel uxori in genere affinitatis.* Sic in exemplo: quia frater meus mihi junctus eſt in primo gradu in linea conſan-

ſanguinitatis, ideò eodem gradu junctus eſt uxori meæ in linea affinitatis. Adeóque, ſi conſanguineus tuus ducat uxorem, & ſcire velis, in quoto gradu affinitatis ſit tibi conjuncta iſta mulier, vide, quoto gradu tibi conjunctus ſit conſanguineus in linea conſanguinitatis, & eodem gradu erit tibi ipſius uxor juncta in genere affinitatis.

Sic: ſcire cupiens, quoto gradu diſtet à me uxor mei patruelis, video, quoto gradu ego diſtem à meo patruele in genere conſanguinitatis, & conſultis ad hoc regulis pro computatione graduum conſanguinitatis ſuprà fuſiùs traditis reperio, quòd ego & patruelis meus duobus gradibus diſtemus in genere conſanguinitatis: ergò etiam uxor mei patruelis duobus gradibus diſtat à me in genere affinitatis; quia: *quoto gradu quis conjunctus eſt marito in genere conſanguinitatis, eodem gradu junctus eſt uxori in genere affinitatis.* Et verſâ rotâ: atqui ego ſum marito, ſcilicèt patrueli meo, duobus gradibus junctus in linea conſanguinitatis: ergò duobus gradibus junctus ſum uxori patruelis mei in genere affinitatis.

Sciendum proinde affinitatem impedire matrimonium contrahendum, dirimeréque contractum; & hoc ex lege poſitiva Eccleſiaſti-

ca, etiam in primo gradu; quod tamen impedimentum, ſi proveniat ex copula licita in matrimonio, ſe hodie extendit ſolùm usque ad quartum gradum incluſivè, ùt ſtatuitur *C. non debet 8. b. t.* ſi autem ortum fuerit ex copula illicita, ſeu fornicaria ſolùm extenditur usque ad ſecundum gradum incluſivè, & non ultrà, ità *Conc. Trident. Seſſ. 14. de reformat. matr. C. 4.*

Annecto Lectori nomina affinibus propria. Primò *Socer*, id eſt Pater viri, vel uxoris. Secundò *Socrus*, id eſt, mater viri, aut uxoris. Tertiò *gener*, id eſt vir filiæ. Quartò *Nurus*, id eſt, uxor filii. Quintò *Noverca*, id eſt, ſecunda uxor Patris reſpectu filiorum prioris conjugii ejusdem matris. Sextò *Vitricus*, id eſt maritus matris reſpectu filiorum prioris conjugii ejusdem matris. Septimò *Privignus* & *Privigna*, id eſt, filius & filia reſpectu vitrici & novercæ. Octavò, *Levir*, id eſt, ftater viri uxoris iſtius. Et nonò *glos*, id eſt, ſoror ejusdem viri reſpectu uxoris ejusdem, quæ omnia una cum conſanguineis, ſequentibus verſibus exprimuntur:

Conjugia *affines* faciunt: *Confinia* campi:
Agnati patris: cognati matris habentur:
Dic *patruos* patris fratres: *Amitasque* ſorores:
Frater *avunculus* eſt, ſoror eſt *matertera* matris.

Quos

Quos generant fratres natos, dices *patrueles*:
Sed *conſobrinos* dic, quos genuêre ſorores:
Quos Soror & Frater gignunt dices *amitinos*:
Vir natæ *gener* eſt: *nurus* autem fæmina nati:
Uxoris genitor *ſocer* eſt: *ſocrúsque* genitrix:
Vitricus haud æquus pater eſt, materq; *noverca*.
Ipſe viri Frater *levir*: conjux quoque fratris
Fratria: *glos* uxor fratris, ſoror atque mariti.

Ex quibus ſit reſolvendus ſequens

CASUS.

Titius aliquot annis pacificè cohabitavit Iſabellæ, matrimonio ſuo, uti putabat feliciſſimus, quòd aliquos ex ea liberos genuiſſet: angit econtra iſtud conjugium vehementer Cajum fratrem Titii, cùm ſciat impedimentum dirimens intercedere, fratri quidem ſuo ignotum, & ab Iſabella non apprehenſum; nam iſte multo ante, quàm inter ſe iſti contraherent, carnaliter peccavit cum eadem Iſabella; unde ſollicitus interrogat Confeſſarium, an teneatur impedimentum hoc manifeſtare, ut putatitii iſti conjuges à ſe invicem ſeparentur, aut obtenta Pontificia diſpenſatione de novò contrahant. Et reſolvendo

Dico: Licèt Cajus, priusquàm contraheretur hoc matrimonium, omni meliori modo impedire iſtud debuerit, ſaltem niſì ex detectione occulti impedimenti timeri po-

terat valdè magnum ſcandalum; poſtquam tamen hoc matrimonium jam eſt contractum (utì ſupponit caſus noſter) & aliquot annis pacificè cohabitârunt, ad manifeſtationem impedimenti obligandus non eſt, ſed potiùs ipſi hoc diſſuadendum. Ratio reſolutionis eſt: quia ſi eſſet manifeſtandum, fieri iſtud deberet, vel ratione conjugum, vel ratione liberorum, vel ratione præcepti Eccleſiaſtici: ſed non ratione conjugum, aut liberorum; quia nec his, nec illis obeſt hoc matrimonium; illi enim optima fide contraxerunt impedimenti ignari, ipsúmque impedimentum ità occultum eſt, ut prudenter putetur, nunquam revelandum; nec eſt periculum ullum peccati ob ipſam hanc bonam fidem, quâ utrinque contractum eſt; & licèt filii re ipſa nati ſint ex matrimonio nullo, tamen ubique habebuntur pro legitimis, utpote ſuſcepti bona conjugum fide, & ex matrimonio in facie Eccleſiæ contracto: ergò nec ratione parentum, nec liberorum neceſsè eſt manifeſtare impedimentum. Sed neque manifeſtandum eſt ratione præcepti Eccleſiaſtici; nempe, ut is, qui novit impedimentum, præcipiente Eccleſia, illud manifeſtet. Nam authores, dum obligant ſub mortali ad manifeſtandum impedimentum, loquuntur de matri-

Digitized by Google

matrimonio impediendo, nè contrahatur, non verò, ut bona fide contractum diſſolvatur. Tum quia, ut matrimonium contrahendum impediatur, ſufficit, unum de impedimento teſtari, ſaltem ad hoc, ut via aperiatur Ordinario ad inquirendum; ut verò contractum matrimonium diſſolvatur, unius teſtimonium nequaquam eſt ſufficiens; ùt clarè patet *ex C. ſuper eo, de teſt.* ubi in fine ità legitur: *ſi verò matrimonium eſt firmatum, non debet ſinè plurium juramento diſſolvi.* Interim viſum eſt aliquibus, facturum meliùs, ſi quis accepta occaſione alterutrum ex his conjugibus ſuum impedimentum edoceret, & ad petendam in occulto Pontificiam diſpenſationem hortaretur; aut illius locò eandem ipſe à Pontifice peteret, ut eâ impetratâ invalidum hactenus matrimonium revalidari queat: cui conſilio me non oppono, ſi hoc cum fructu fieri & ſinè magna difficultate, & incommodis poſſit; ſecùs dicendum eſt, ſi timeatur, nè magnæ difficultates, rixæ, ſcandala, aliáve incommoda exoritura ſint, & plus credatur obfutura, quàm profutura manifeſtatio; quia vel conjugem putatitiam non facilè derelinquet maritus, etiam cognitô impedimentô, vel aliæ graviſſimæ turbæ conſequentur, quod ex circumſtantiis colligi

debebit, tunc prudentiùs aget, qui tales conjuges relinquet in bona fide, etiamſi facilè cæteroquin diſpenſatio impetrari poſſet; quia etiam habita diſpenſatione adhuc neceſſè erit habere novum conſenſum; fortaſſis autem erit perquàm difficile, ut iſte obtineatur; nam ipſa illius petitio movere poterit alteri conjugi mille ſuſpitiones de nullitate matrimonii, ut hanc velit ſibi apertiùs prodi; quin autem ſi prodi nequeat ſine gravi infamia, & inde conſecuturo odio, rixis continuis, & forſitan ipſa occaſione vel putatæ conjugis, vel ejus, cum qua ipſa ante contractas nuptias carnaliter congreſſa eſt? aut ſi hæc non eveniant, quid ſi pars innocens, videlicet alter conjux, ex petitione novi conſensûs nullitatem matrimonii ſubolfaciens, de novo conſentire nolit? quæ ſcandala, quæ mala hinc eventura ſunt? hæ ergò, ſimilésve difficultates, quales in caſu præſenti paucæ videntur abeſſe, ſufficiunt ad hoc, ut re tota diſſimulata permittantur conjuges in ſua bona fide, quod non obſcurè inſinuat P. Sporer *Theol. Sacrament. p. 4. c. 7. §. 3. n. 444. & §. 6.* agens de renovatione conſensûs, juxta quem, ſi caſus ſimilis tibi obtigerit, attentis circumſtantiis decide.

Pro coronide hujus impedimenti te Confeſſa-

feſſarie! admonitum velim; nolim præceps ſis in decidendo, an impedimentum ſit, an non: ſed benè perpende dicta, hoc impedimentum tantùm oriri ex copula perfecta, hoc eſt: apta generationi: cauſa meæ admonitionis eſt; quia fieri potuit, quòd Cajus frater Titii in noſtro caſu (quod prudentia tua extendet) rem habuerit cum Iſabella etiamnum puer duodecim vel tredecim annorum, cùm dicat ſe multò ante initum hoc matrimonium cum eadem peccâſſe, quod jam duravit per plures annos, ſive ea æqualis, ſive majoris ætatis fuerit, ſat inquam, certum eſt, nullam inde affinitatem emerſiſſe inter Titium & Iſabellam; hæc enim ex ſola copula perfecta oritur; pueri autem in ea ætate non ſolent ſemen emittere: ergò nec copulam perfectam habere, ex qua ſola oritur hoc impedimentum affinitatis. Cautè ambula!

IMPOTENTIA.

IMpedimentum dirimens matrimonii, quod dicitur *Impotentia*, eſt inhabilitas corporis ad exercendum actum conjugalem per completam, & perfectam commixtionem cum penetratione vaſis fœminei, & immiſſione ſeminis. *Pro cujus intelligentia*

Sciendum primo, quòd hæc vox *Impotentia*

dupliciter ſumi poſſit; ſcilicet, vel pro impotentia generandi, vel pro impotentia coëundi, ſeu perficiendi copulam. Impotentia generandi, quæ dicitur ſterilitas, non impedit, nec dirimit matrimonium; poſſunt enim ſteriles habere veram copulam conjugalem, per quam vir, & mulier fiant una caro, verúmque ſemen emittant, licèt ob ſpeciale aliquod temperamentum, & qualitates infœcundum ſit; conſequenter ſteriles, licèt quaſi per accidèns habere nequeant finem primarium matrimonii, & copulæ conjugalis effectum, qui eſt generatio prolis, habere tamen poſſunt finem ſecundarium, qui eſt remedium concupiſcentiæ, & ſolatium humanitatis, ùt dicitur *in C. nuptialis 27. q. 1.* Proinde ſola impotentia coëundi, ſeu copulam perficiendi, matrimonium impedit, atque dirimit jure non ſolùm Eccleſiaſtico, ſed etiam naturali; quia licèt copula actualis de eſſentia matrimonii non ſit, eſt tamen de illius eſſentia, ut invicem tradantur corpora, quæ ad hunc actum inepta non ſint. Porrò ut capi poſſit, quæ impotentia coëundi hoc impedimentum inducat.

Sciendum ſecundò: Aliam eſſe impotentiam *intrinſecam & naturalem*, aliam *extrinſecam & accidentalem. Intrinſeca & naturalis* oritur ex ipſius

ipſius naturæ defectu, in viro quidem, quia vel membra genitalia ab ipſa natura malè efformata ſunt, ità ut ad carnalem copulam ſint inhabilia: vel provenit à temperamento nimis frigido, ex cujus intemperie iis ſpiritibus deſtituitur, qui excitare ſolent ad ſeminis effuſionem; unde vel ſeminare omninò non poteſt, vel ob debilitatem nequit penetrare vas fœmineum, & in illud ſemen emittere, quod quidem aliquando, ſed rariùs, etiam provenit à nimis calida complexione, ex qua fit, ut ebulliente ſanguine, & exuperante calore, dum accedit ad debitum conjugale ſolvendum, in eodem inſtanti ſemen præproperè extrà ejaculetur, ut intra vas muliebre immittere non valeat. In fœmina autem naturalis hæc impotentia tantùm oritur ex arctitudine, ſi nempe vas tam arctum, & anguſtum habeat, ut à viro penetrari nullatenùs poſſit, ſeménque ipſa recipere.

Extrinſeca & accidentalis Impotentia, ſive in viro, ſive in fœmina provenit vel ex diuturno aut violento morbo, gravi percuſſione, caſtratione, maleficio &c. ſæpè enim contingit, ut arte magica & faſcinationibus à re venerea conjuges impediantur, ut nequeant congreſſum habere; quod fit ſubinde per maleficium univerſale, ut vir cum nulla fœ-

mina coire valeat; ſubinde redditur impotens ad illam tantùm, quam ſibi deſponſavit.

Hujusmodi maleficium aliquando eſt perpetuum, & durat usque ad mortem maleficiati: quandoque temporale, quod poſt aliquod tempus ceſſat, ac tollitur.

Item impotentia alia eſt *perpetua*, alia *temporalis*: perpetua dicitur ea, quæ mediis naturalibus per artem medicam, vel per conſuetos Eccleſiæ exorciſmos, vel aliàs ſine peccato, vel ſinè vitæ periculo, aut ſinè miraculo tolli non poteſt; adeóque cenſetur eſſe incurabilis, etiamſi tolli valeat per miraculum, vel per illicita media v. gr. per artem magicam, novúmque maleficium contrarium, aut incantationem, vel cum periculo mortis. *Temporalis* eſt, quæ arte naturali ſinè gravi vitæ periculo per media licita, ſive profana, ſive ſacra, nempe per Eccleſiæ exorciſmos ac benedictiones, aliáque ſimilia tolli poteſt.

Item impotentia alia eſt *abſoluta*, alia *reſpectiva*. *Abſoluta* eſt, quæ reſpectu omnium alterius ſexûs perſonarum datur, ità, ut eâ affectus cum nulla prorsùs fœmina perfectam copulam carnalem habere poſſit. *Reſpectiva* eſt, quæ tantùm reſpectu unius aut plurium certarum perſonarum, non item reſpectu omnium datur ità, ut, licèt laborans hâc impo-

impotentia coire non poſſit cum hac vel illa perſona, poſſit tamen cum aliis. Hâc præmiſsâ impotentiæ diviſione

Prima regula eſt, Impotentia, ut dirimat, debet eſſe antecedens matrimonium: non ſufficit, ſi ſit conſequens matrimonium, etiam ſolùm ratum, antequam ſit conſummatum.

Secunda regula eſt: Impotentia debet eſſe perpetua, ità ut nulla arte tolli poſſit, ſive ſit orta ab intrinſeco, & vitio naturæ, ſive ab extrinſeco vitio artis, aut diaboli, ſive ſit abſoluta ſive reſpectiva, dummodò ſit perpetua. Si perpetuitas ſit certa, ut ſi vir habeat virilia ſicca, aut amputata, vel ſi mulier ſit adeo arcta, ut nullo remediô, nec inciſione poſſit fieri apta, poteſt matrimonium ſtatim pronuntiari nullum à Judice Eccleſiaſtico. In dubio perpetuitatis conceditur ab Eccleſia triennium ad experiendum bona fide; quo elapſo ſinè fructu matrimonium declarari poteſt invalidum, & diſſolvi. Ex quibus reſolvendus eſt ſequens

CASUS.

Philippina nupta Demetrio ultrà triennium eidem cohabitans, nunquam ab eo ita fuit cognita, ut mater efficeretur; toto enim tempore, quo ſibi convixerunt, ſæpiùs tentatâ copulâ, ſemper ex-

experta eſt virum impotentem, quod amorem omnem extinxit, ut nollet jam diutiùs habere conjugem, ex quo liberos non erat ſuſceptura: egit proinde ad diſſolutionem matrimonii, & quia conſulti hac ſuper re Medici, deprehenderunt in Demetrio, vera eſſe, quæ dixerat Philippina, eum actui conjugali penitùs inhabilem judicantes, lata à Judice ſententia eſt, ut diſſolutô vinculô, à ſe invicem ſepararentur, & iſta, cui vellet, deinceps nubere poſſet. Aliquot menſes elapſi ſunt, quos ità ſejuncti exegerunt, ſed ipſa abſentia mutuum utriusque deſiderium reaccendit; igitur de novo ſe invicem ſalutare, per intervalla inviſere, blanda iterum miſcere colloquia, ac denique eò deventum eſt, ut ſuo priùs conjugi corporis copiam faceret Philippina eventu non ſperato; quippe ex hoc congreſſu paulò pòſt ſenſit ſe eſſe gravidam, & debito tempore prolem peperit, cujus patrem nuncupavit Demetrium, minimè inficiantem. Jam quæritur, an comperto errore de impotentia, debeat hoc matrimonium redintegrari? Et reſolvendo

Dico, Matrimonium inter Philippinam, & Demetrium nullô modô eſſe redintegrandum, ſi hujus impotentia, quæ fuerat naturaliter incurabilis, ſublata fuit per miraculum aut novum maleficium, tunc enim æquè ac priùs ſic reputanda eſt hæc impotentia per

perpetua, & matrimonium eſt irritum, atque ideo, ſi duæ hæ perſonæ invicem conjuges eſſe cupiant, neceſsè eſt, ut per novum conſenſum contrahant. Ità Laymann. *L. 5. tr. 10. p. 4. C. 11. N. 2.* Pirhing. *de frig. & malef. N. 12* Ratio hujus eſt: quia impotentia, quæ tolli naturaliter non potuit, etiamſi miraculosè ſublata fuerit, cenſetur impotentia non temporalis, ſed perpetua. Idem dicendum eſt de impotentia aliter inſuperabili, quæ novo maleficio, vel arte magica ſublata eſt. Quia tamen de hoc nulla mentio fit in ſpecie facti hujus caſus, videtur hæc impotentia ſolùm fuiſſe temporalis, eáque aut naturalis, quæ, cùm crederetur eſſe perpetua, vel applicatis mediis denique depulſa eſt, vel ipſa ultrò evanuit, vel eſt inducta per maleficium ſolummodò duraturum ad tempus, donec nempe conjugium diſſolveretur, hácque ſejunctione fruſtrato ſuo amore hi duo conjuges notam contraherent, & cum confuſione ſui exponerentur dicteriis hominum, præſertim ille, quem maleficium impotentem reddiderat, quod, cùm deinde ceſſaverit, atque Demetrius præter opinionem potens inventus fuerit, reddenda ipſi eſt in conjugem Philippina, cùm matrimonium inter eos, ſemper conſtiterit, etſi invalidum judicatum fuerit per

per errorem; & quamvìs in hoc graviter peccaverit, quòd impotentem ſe judicans, & pro tali à judice declaratus, uxoris quondam ſuæ nova cupiditate inflammatus, gliſcente libidine ad eam nihilominus acceſſerit; tamen, quia habitâ præter ſpem perfectâ copulâ, inventus eſt eſſe potens, & deprehenſum, ipſum quoque impedimentum fuiſſe duntaxat temporaneum, quod matrimonium non dirimit, reddenda eſt ipſi Philippina vera & legitima conjux, ut deinceps rursùm cohabitent, ſéque invicem conjugali proſequantur amore, quin opus ſit novo conſenſu, ac contractu. Ratio horum generalis eſt; quia evenire poteſt, ut in judicio de impotentia & facta ob eam diſſolutione matrimonii, error committatur; hac enim in re receptum eſt à Theologis Eccleſiam errare poſſe, cum ea in facto, non verò in jure conſiſtat; tale igitur, ſi quidpiam eveniat, diremptum matrimonium redintegrandum eſt; & ſi fortaſſis à parte altera, quæ potens eſſe cenſebatur, contractum eſt matrimonium, etiam de licentia Judicis Eccleſiaſtici, reddenda eſt priori conjugi, qui per errorem creditus quidem eſt eſſe impotens, modò autem deprehenditur eſſe potens; cùm enim ſententia, quæ priùs conjugium annullavit, pro-

proceſſerit ex errore, neceſsè eſt, ut ea retractetur quocunque tempore cognitum fuerit, eandem ex errore ortam eſſe, etiamſi intereà à facta diſſolutione plures anni elapſi ſint; nam ùt habetur *in arg. C. Lator. de ſent. & re. judic. ſententia lata contra matrimonium nunquam tranſit in rem judicatam.*

Agunt hìc Authores de matrimoniis impuberum, ſpadonum, & ſenum, ſed quoniam hæc & præcedentia fœdam complectuntur materiam, curtiùs expediendo; *Dico* ad primum; Impuberes licèt temporaneâ tantùm laborent impotentiâ, atque ideò ſpectando ſolùm jus naturale, validè poſſent contrahere matrimonium; tamen ex ſpeciali juris Canonici diſpoſitione ante adeptam pubertatem ob impotentiam coëundi, declarantur inhabiles ad contrahendùm matrimonium, &, ſi defactò contraxerint per verba de præſenti, nullum eſt, atque irritum eorum matrimonium. *C. ubi non eſt. C. à nobis. C. atteſtationes.* aliiſque pluribus. *De deſponſat. Impub.* niſi malitia ætatem ſuppleat, quæ malitia ætatem ſupplens conſiſtit in maturitate judicii ſufficientis ad diſcernendum, & ſe obligandum in contractu perpetuo, & indiſſolubili matrimonii, atque in potentia ad copulam, hoc eſt: ad penetrandum vas,

ad

Digitized by Google

ad emittendum verum ſemen, & quidem intra vas, non verò ad emittendum extra vas, ſeu in ore vaſis.

Quantum ad ſpadones & eunuchos utroque teſte carentes *dico* tanquam certum & indubitatum, nunquam poſſe contrahere verum matrimonium: ratio hujus eſt: quia matrimonium ex natura ſua eſt contractus, in quo legitimæ perſonæ in ſua corpora ſibi mutuum dominium tradunt, ad uſum matrimonii, eſtque per ſe ac primariò inſtitutum ad honeſtam humani generis propagationem, ùt conſtat *ex illo Gen. 2. propter hanc relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una*: at ſpadones & eunuchi utroque teſte carentes, nequeunt tradere ſui corporis dominium ad prædictam propagationem, & uſum matrimonii, cùm verum ſemen non habeant, ſed aqueum quemdam humorem, eſſentialiter, & in ſubſtantia diverſum, & qui ejusdem rationis prorſùs non eſt cum vero ſemine: ergo nequeunt contrahere matrimonium.

Dixi notanter: utroque teſte carentes; nam qui uno teſte carent, ex Medicorum omnium ſententia poſſunt verum ſemen emittere; ergò tales apti ſunt ad conjugium, non verò utroque teſte carentes, quocunque ſub prætextu

Digitized by Google

textu contrahere velint. Unde etiam docet Sanchez. *L. 7. Diſp. 5. N. 14.* acceſſum eunuchi ad non uxorem, ſeu copulam, quam habet cum fœmina extra matrimonium, eſſe peccatum contra naturam, atque ideò hanc circumſtantiam in Confeſſione ſpecialiter explicandam.

Quod Senes concernit *dico*, eos poſſe, quantùmvis decrepiti ſint, contrahere matrimonium, dummodò alio impedimento præter ſenectutem non laborent. Ratio eſt: quia poſſunt exercere perfectum actum conjugalem, & verum ſemen emittere intrà vas, etſi illud per accidens impeditum, & infœcundum ſit. Tum, quia defectus caloris poteſt arte medica in iis ſubinde reſtaurari, ità ut etiam prolem aliquando ſuſcipiant, & ſanè habemus in hiſtoriis exempla multorum ſenum, in quibus virtus non ſolùm coëundi, ſed etiam generandi in extrema ſenecta non defecit. Sic, ùt refert Tiraquellus *de leg. connubial. L. 6. A. N. 22.* Uladislaus Rex Poloniæ jam Nonagenarius duos filios genuit Uladislaum & Caſimirum. Denique id ſatis probat uſus Eccleſiæ, quæ paſſim ſenibus permittit, ut poſſint inire matrimonium; quod tamen cum Sanchez, Palao, Tamb. Pirh. & aliis ita limitandum eſt, nisi ſint adeò

K ex

exhauſti, ut omninò impotentes ſint ad habendam copulam, nec judicio Medicorum juvari poſſint.

ABSENTIA PAROCHI ET TESTIUM.

IMpedimentum dirimens matrimonii, quod dicitur *Abſentia Parochi, & Teſtium*, ſeu defectus præſentiæ Parochi & Teſtium, eſt inhabilitas contrahendi matrimonium clandeſtinè, hoc eſt: ſine Parocho & teſtibus, introducta à Concilio Tridentino. *Pro clariori hujus definitionis intelligentia*

Sciendum primò: matrimonia clandeſtina, hoc eſt: ſine Parocho & teſtibus contracta, olim ante Tridentinum Concilium ab Eccleſia ſemper fuiſſe graviter prohibita. *c. aliter &c. nullus 30. q. 5.* ubi Hormiſta Pontifex ſtatuit, ut nullus fidelis, cujuscunque conditionis ſit, occultè nuptias faciat, ſed benedictione accepta à Sacerdote, publicè nubat in Domino; idque etiam indicat Tridentinum *Seſſ. 24. c. 1.* aſſerens: hæc matrimonia, Dei Eccleſiam ex juſtiſſimis cauſis ſemper fuiſſe deteſtatam, eáque prohibuiſſe; unde peccârunt mortaliter etiam tunc ex communi DD. ſententia, qui contra prohibitionem Eccleſiæ auſi ſunt clandeſtinè contrahere; valida

valida nihilominùs fuiſſe ejusmodi conjugia ex eodem Tridentino *l. c.* manifeſtum eſt, ubi anathemate damnat eos, qui clandeſtina matrimonia vera ac rata eſſe negant, quamdiu Eccleſia ea irrita non facit. Quidquid autem fuerit ante Concilium Tridentinum jure novo ſacræ iſtius ſynodi matrimonia clam inita ſine Parocho & teſtibus hodie non ſolùm illicita, ſed penitùs irrita, ac nulla ſunt, *Seſſ.* 24. *c.* 1. his verbis: *qui aliter, quàm præſente Parocho, vel alio ſacerdote de ipſius Parochi ſeu Ordinarii licentia, & duobus vel tribus teſtibus matrimonium contrahere attentabunt, eos ſancta ſynodus ad ſic contrahendum omnino inhabiles reddit, & hujusmodi contractus irritos, ac nullos decernit, prout eos præſenti decreto irritos facit & annullat.*

Sciendum ſecundò. Hoc decretum concilii non obligare abſolutè & ſimpliciter, ſed in iis tantummodo locis, in quibus ipſum concilium publicatum & receptum eſt, ùt conſtat ex verbis dicti *c.* 1. ſub finem: *Decernit inſuper, ut hujusmodi decretum in una quaque Parochiam ſuum robur poſt triginta dies habere incipiat à die primæ publicationis in eadem Parochia factæ numerandos*; quare ſi matrimonia clandeſtina etiamnum contrahantur ab incolis in iis locis, ſive Catholicorum, ſive hæreticorum,

in quibus decretum iſtud receptum non eſt, vel nunquam promulgatum, ea etiam hodie valida ſunt; peccabunt tamen clam contrahentes, cùm etiam ante concilium conjugia clandeſtina illicita fuerint, nec ſine peccato ſic contrahi potuerint.

Sciendum tertiò. Vî Tridentinæ conſtitutionis clariſſimæ, ubi nimirum ea publicata eſt, ſuámque vim obtinet, in nullo prorſus eventu matrimonium ſine Parocho & teſtibus contractum eſſe validum. Ità Sanchez, Baſilius Pontius, Præpoſit. Pallas, Coninch, Tannerus, Dicaſtillo, Pirhing, & communis aliorum idquè declarat praxis Eccleſiæ, ratio eſt: quia ubi in diſpoſitione dicitur, *non aliter fieri poſſe*, inducitur forma actûs: ſed in Tridentino *l. c.* dicitur aliter fieri non poſſe matrimonium, quàm præſente Parocho & teſtibus, & aliter contractum redditur irritum: ergo inducitur forma, ac proinde in nullo eventu absque ea ſolemnitate erit validum, res enim ſine ſua forma nunquam ſubſiſtere poteſt. Tum quia in dicto Concilii decreto redduntur perſonæ *omninò* inhabiles ad clandeſtinè contrahendum, quæ ſignificat in omni eventu, ſine ulla exceptione, aut limitatione, ùt videre eſt apud Barboſam *in dictionibus uſu frequentioribus dict. 240.* Ergo nulla

nulla ſive ignorantia, ſive neceſſitas ſupplere poteſt hunc defectum, & *omnino* inhabiles ad aliquem effectum reddere habiles, ùt patet in lege irritante matrimonium inter conſanguineos intrà quartum gradum, qui nullo caſu ſine legitima diſpenſatione validè contrahunt, etiam in urgentiſſima neceſſitate vel ignorantia.

Tum quia licèt lex aliqua non obliget ignorantem, quando eſt merè præceptiva, & inducens contractûs ſolemnitatem extrinſecam, obligat tamen, quando inducitur non per modum pœnæ; nam ignorantia ſolùm excuſat à culpa: ergo ubi irritatio non dependet à culpa, ac conſequenter pœna non eſt, ibi ignorantia ab ea non excuſat. Subſumo: atqui Concilium Tridentinum hanc irritationem non ſtatuit tanquam pœnam, cùm eam non intentet in alicujus odium vel in vindictam peccati; ſed propter bonum, tum commune, tum etiam privatorum, ut maximis incommodis occuratur: ergo à tali legè irritante nulla ignorantia excuſare poteſt, ùt patet in exemplo ſuprà allato de conſanguinitate; unde quamvis lex non afficiat ignorantes quoad pœnam extrinſecam; benè tamen afficit quoad intrinſecam annullationem actûs, nec eum reddit

Digitized by Google

validum, ut probat textus *C. 1. De conceſſ. præbend.* in 6. *ſive ignoraverit, ſive non, uon valebat*: ergo licet ignorantes Decretum Tridentinum excuſentur ab aliis pœnis, quibus clandeſtinè contrahentes jubentur graviter puniri arbitriô Ordinarii, non tamen liberantur per ignorantiam, ab inhabilitate, & conſequente ex ea actûs nullitate: cùm per ignorantiam non ponatur, quod abſtulit inhabilitas.

Tum quia, licèt in urgente neceſſitate lex non obliget, ſed admittat epichejam, & interpretationem, quando eſt lex poſitiva aliquid præcipiens aut prohibens; obligat tamen, quando eſt lex inhabilitans, aut irritans, quæ inducit certum actum & ſolemnitatem quaſi intrinſecam & ſubſtantialem; in tali enim lege non admittitur ulla interpretatio, ex quo ſequitur, nec in articulo mortis, ut proles legitimetur, contrahi poteſt clandeſtinè, ratio: quia bonum commune, quod ſpectat lex irritans matrimonia clandeſtina, ut præſcindantur occaſiones graviſſimorum peccatorum, & incommodorum, longè majoris momenti eſt, quàm bonum, quod ex matrimonio clandeſtino interdum per accidens oriri poteſt, minúsque inconveniens eſt, ut aliquis privatus damnum patiatur ex

non

non contracto matrimonio, quàm ut conjugiis clandeſtinis ullô modô via aperiatur.

Et hæc doctrina adeo certa eſt, ut neque ex diſpenſatione Epiſcopi in urgente graviſſima neceſſitate absque Parocho & teſtibus matrimonium validè poſſit celebrari. Ratio eſt: quia Concilium Tridentinum iſtud conſtituit tanquam formam ſubſtantialem, ponítque decretum irritans, ipsásque perſonas ad ſic contrahendum reddit inhabiles, non quomodocunque, ſed *omnino*, per quod excludit omnem gratiam & diſpenſationem: ergo in hoc caſu Epiſcopus diſpenſare non poteſt.Ità Sanchez, Perez, Palas, Baſilius Pontius.

Ex hac doctrina ſcias adeò neceſſariam eſſe præſentiam Parochi, ut licèt matrimonium publicè contraheretur, in præſentia totius populi, ſi ſolus abeſſet Parochus, nullô modô validum foret; quia Tridentinum ſtatuit formam ſubſtantialem pro matrimonio contrahendo; forma autem ſpecificè ac propriè & non per quid æquipollens adimpleri debet: ergo &c. Cùm igitur præſentiam Parochi, atque teſtium indiſpenſabiliter neceſſariam eſſe conſtet; dicam Lectori neceſſaria tum de Parocho tum de teſtibus; & quidem breviſſimè

Digitized by Google

Primò de Parocho. Parochus debet eſſe præſens phyſicè & moraliter, hoc eſt: debet eſſe præſens cum tali advertentia, ut de contractu poſſit teſtificari. Hinc ſi Parochus ſit amens, ebrius aut dormiens, nullum eſt matrimonium. Non requiritur tamen, quòd ſit ad id vocatus, adeóque, ſi vî, dolô, aſtutiâ, aut metu coactus intereſſet, valeret matrimonium. Quod etiam verum eſt, licèt oculos & aures claudendo affectâſſet non intelligere, modò tamen intellexerit. Ratio horum eſt; quia poſſet de matrimonio teſtificari, quod ſufficit. Imò valebit matrimonium, ſi caſu fortuito adſit Parochus v. gr. tranſeundo, ſi contrahentes in hunc finem illius tranſitu uſi ſunt, quod requiſivit S. Congreg. Concilii Tridentini Anno 1591. 29. Auguſt. Aliud tamen eſſet, ſi non attendentes ad Parochum contraxiſſent, licèt ille tranſeundo contractum obſervâſſet.

Item valebit matrimonium, etiamſi Parochus ſit excommunicatus, irregularis, ſuſpenſus, aut interdictus. Ubi autem contrahentes ſunt diverſæ Parochiæ, ſufficit Parochus alterutrius; licèt uſus (non obligans tamen) invaluerit, ut adhibeatur ille, in cujus Parochia contrahitur.

Item valebit matrimonium, ſi Parochus ſub-

ſubſtituat alium Sacerdotem: ſufficit autem ad ſubſtitutionem conceſſio generalis exercendi in Parochia omnia paſtoralia. Non ſufficit tamen ſperata ratihabitio, quia debet ſubſtitui ante contractum, cùm à præſentia illius, ut ſubſtituti, dependeat valor matrimonii.

Secundò de teſtibus. Præter Parochum aſſiſtentem requiruntur ſaltem duo teſtes; nec ſufficit, ut unicus tantùm adſit cum Parocho quantumcunque eximius ille ſit v. gr. Princeps, Rex &c. duos enim ad minimum præter Parochum expreſsè requirit Tridentinum *Seſſ. 24. c. 1. de reform. matrim.* & matrimonium aliter contractum irritat. Illi ſaltem duo teſtes debent eſſe præſentes non ſolùm phyſicè & corporaliter, ſed etiam moraliter & modo humano; unde debent habere uſum rationis & advertentiam ad ea, quæ aguntur. Ratio eſt: quia Tridentinum ideò exigit aſſiſtentiam Parochi & teſtium, ut conſtet Eccleſiæ de matrimonio contracto, poſsintque de eo teſtificari, ne vivente priore conjuge aliquis poſſit ducere ſecundam, eò quod non conſtabat Eccleſiæ de matrimonio; ſed qui non adſunt modo humano, intelligentes & advertentes quid agatur, nequeunt de eo teſtificari: ergo &c. ſufficit etiam, ſi teſtes ali-

K 5 quo

quo ſenſu percipiant conſenſum contrahentium, ut, ſi non audiant verba, videant ſaltem ſigna mutui conſensûs; cùm poſſit matrimonium non ſolis verbis, ſed etiam per ſigna contrahi. Imò ſi contrahentes ſint diſtincti Idiomatis, ſatis eſt, ſi Parochus & teſtes mutuum conſenſum per interpretem intelligant; eſtque in hoc caſu credendum dicto ſolius interpretis; quia non eſt teſtis, ſed electus communi contrahentium conſenſu, ut, quæ aguntur, declaret, Ratio eſt: quia alii quicunque contractus celebrari poſſunt per interpretem *L. 1. §. fin ff. de verb. oblig.* Sanchez. *L. 3. diſp. 39. N. 1. & ſeq.* Bonac. *q. 2. matrim. pun. 8. N. 41. & ſeq.*

Porrò impuberes, fœminæ, Parentes, conſanguinei, familiares, domeſtici, ſervi, Religioſi, imò & excommunicati, infames, atque etiam infideles tanquam teſtes aſſiſtere poſſunt matrimonio. Ità docent Sanchez, Palao, Gobat, Layman, Pirhing, Engl, Barboſa, Baſſæus. Ratio horum eſt: quia concilium ſolùm præcepit duorum vel trium teſtium præſentiam, nulla in iis addita vel ulterius requiſita qualitate: ergo neque nos debemus plura exigere, nam ubi certa qualitas in teſtibus eſt neceſſaria, id jura diligenter exprimunt, ùt videre eſt in C. *cum eſſes de*

teſta-

Digitized by Google

teſtament. coram Bresbytero, & tribus vel duabus aliis perſonis idoneis: cùm ergo Tridentinum hìc nihil tale exprimat, ſignum eſt, nullam in teſtibus qualitatem exigi, præterquam ut uſum rationis habeant, quod ipſum jus naturæ poſtulat. Incidenter hìc obſerves velim, ad teſtificandum ſuper nullitate matrimonii non omnes ſufficere, ſed requiri teſtes omni exceptione majores. *C. 1. de Conſanguinitat.*

Cæterùm non eſt neceſſe, ut prædicti teſtes ſint ſpecialiter rogati, vel invitati, quod aliqui ſine fundo requirunt, nec tamen ullo jure probant, ſiquidem contrarium conſtat ex *L. 2. ff. de teſtibus*: *ad fidem rei geſtæ faciendam etiam non rogatus teſtis intelligitur*, ipsúmque Concilium Tridentinum hanc qualitatem non requirit; Hinc ſatìs eſt, ſi caſu adſint in loco v. g. cauſa convivii vel confabulationis, ubi matrimonium contrahitur, aut illac tranſeant, dummodò advertant id, quod agitur, ſic enim verè præſentes ſunt, quia præſentia, quæ petitur ad valorem matrimonii, contenta eſt ſola intellectûs advertentiâ, quâ ritè teſtimonium contracti matrimonii perhiberi poſſit, ùt docet Sanchez *L. 3. diſput. 39. N. 11.* Tamburin. *L. 8. de matrim. to. 6. C. 2. §. 3. N. 7.* Reginald. *L. 31. N. 182.*

Idem

Digitized by Google

Idem dic, quando teſtes dolo inducti ſunt, ut matrimonio aſſiſtant, imò etiam ſi vî coacti ac detenti ſint contra ſuam voluntatem, adſintque inviti ac reluctantes. Ratio horum eſt; quia Concilium Tridentinum ſolùm requirit eam præſentiam Parochi & teſtium, quæ ſufficit ad teſtificandum matrimonium fuiſſe contractum: poſſunt verò iſtud teſtari, etſi coactè & per vim aſſiſtant, nam poſſunt utique habere advertentiam mentis, etiamſi conjuncta ſit cum repugnantia voluntatis, neque à dando teſtimonio eos impedit illata injuria: ergo vis & coactio non obſtat, atque ideo in L. 209. ff. de V. S. dicitur: *Scire autem teſtis, non etiam velle debet, nam & invito eo rectè fit, quod juſtum eſt.* Ex quibus ſit reſolvendus

CASUS.

Simachus ducturus in conjugem Lucretiam, cum ratione bonorum temporalium, & nobilitatis, quibus ſponſæ inæqualis erat, videret ab iſtius propinquis obicem poni matrimonio, impetrata etiam ab Ordinario prohibitione, nè quis Sacerdos contractui conjugali aſſiſteret, ut remoram hanc eluderet, inſtituto clam itinere cum ſua ſponſa digreſſus eſt in regionem, in qua decretum Concilii Tridentini de clandeſtinis matrimoniis receptum

non

non eſt, ibique ſine Parocho & teſtibus contraxit de præſenti. Jam quæſtio movetur, an Simachus & Lucretia inde reduces habendi ſint pro legitimis conjugibus, an verò ſeparandi? ante reſolutionem hujus casûs.

Sciendum primò Communem eſſe ſententiam illos validè contrahere ſine Parocho & teſtibus, qui licèt incolæ ſint locorum, ubi receptum eſt Tridentinum, migrant ad locum non recepti Concilii, animô figendi ibi domicilium, aut quaſi domicilium. Ratio: quia tales ex tunc cenſentur Parochiani talis loci, quibus licitum non eſt, ſed validum contrahere, nec amplius obligantur legibus ſuæ patriæ; ergo &c. Imò valebit, ſi ibi intendant habitare non alio ex fine, quàm ut ità poſſint contrahere, ùt patet ex reſponſo Cardinalium approbato ab Urbano VIII. de quo mox dicetur.

Sciendum ſecundò Graves Authores tum Theologos, ùt Sanchez, Baſilius Pontius, Perez, Coninck, Palao, Tanerus, Bonac. Hurtad. Rebellus, Præpoſit. tum canoniſtas, ut Gonſalez *in c. cum inhibitio. de clandeſt. deſp. N. 10.* Zoëſius *eodem tit. N. 22.* Pirhing. *eodem N. 11.* docere, quòd ſi incolæ loci, in quo viget decretum Concilii, unicè eo accedant, ubi in uſu non eſt, ut clandeſtinè contrahant; redi-

redituri deinceps ad priorem locum, adhuc validùm fore matrimonium. Ratio horum DD. eſt: quia peregrini abſentes à proprio domicilio non tenentur legibus illius, ſi contrariæ vigeant in loco ubi reperiantur, ſed poſſunt ſe tali loco accommodare; neque decretum Concilii afficit perſonas quocunque modo, ſed contrahentes in locis, ubi concilium publicatum eſt. Tum quia in contractibus, eorúmque ſolemnitate ſervandæ ſunt leges loci, in quo celebrantur. *L. ſi fundus ff. de Evectionibus*, ergo cum matrimonium ſit quidam contractus, qui contrahunt in loco, ubi decretum Tridentini non viget, validè contrahunt absque Parocho & teſtibus, nec dici poſſunt in hoc ullam fraudem committere, cùm nulla lege prohibeantur exire in talem locum: nam juxta regulam *55. ff. de R. J.* fraudem non facit, qui jure ſuo utitur, ùt conſtat in contractu venditionis, ubi nemo prohibetur exire à loco domicilii, ut alibi vendat juxta formam requiſitam illius loci. Tum quia tale matrimonium non invalidat contrahentium intentio, ergo &c. Antecedens probatur: licèt intentio efficere poſſit, ut actus aliquis peccaminoſus & illicitus ſit, invalidum tamen non reddit, ſi aliàs ſecluſa hac prava intentione invalidus non eſſet; ſic

ex

ex intentione prava nulla oritur obligatio reſtituendi, ſi re ipſa damnum nullum illatum eſt, quamquàm agat illicitè qui Parochum corrumpit, ut ſine denuntiationibus ſe in fraudem prioris ſponſæ cum alia conjungat, non tamen hoc facit invalidè, ergo quamvis intentio ſic clandeſtinè contrahendi reddat illicitum ejusmodi matrimonium, & peccaminoſum, cùm clandeſtinè contrahendo etiam peccent incolæ locorum, ubi Tridentinum promulgatum non eſt, non tamen per dictam intentionem efficitur matrimonium invalidum. Aſt ſalvis allatis rationibus & tanta doctiſſimorum virorum Authoritate, quæ omnia ſententiam probabilem reddere poſſunt, uti hæc ipſa olim fuit probabiliſſima.

Sciendum tertiò. Defacto invalidum eſſe eorum matrimonium, qui ſe in locum conferunt, ubi Tridentinum non viget, præcisè animô clandeſtinè, ſive aliter contrahendi, quàm S. ſynodus expoſcit. Ità Illſung *to. 1. diſp. 2. A. 2. N. 23.* Tambur. *L. 8. de matrim. tr. 6. C. 7. §. 2. N. 16.* Gobat *tr. 9. caſu 18. N. 480.* Wex, Adrianes *Can. p. 5. tr. 2. de ſponſal.* §. *4. N. 29.* Engl *de clandeſt. de ſponſ. N. 20.* König *eodem tit. N. 27.* Wieſtner *eodem Num. 39.*

Quod ſolùm docet reſponſio Cardinalium

S. Con-

Digitized by Google

S. Concilii Tridentini interpretum, quâ reſolvunt, ſic tranſeuntes invalidè contrahere, quæ reſolutio robur accepit maximum ex brevi Pontificio Urbani VIII. ad inſtantiam Archi - Epiſcopi Colonienſis ſub dato 14. Auguſt. Anno 1627. ubi cum Eminentiſſimi in ſua reſponſione dixiſſent ſuam ſententiam circa tria quæſita. *Primò: An incolæ tam maſculi, quàm fœminæ loci, in quo Concilium Tridentinum in puncto matrimonii eſt promulgatum, retinentes idem domicilium valide poſſint in iſto loco matrimonium ſine Parocho & teſtibus contrahere. Secundò, Quid ſi eò præfati incolæ tam maſculi quàm fœminæ ſolô animô ſine Parocho & teſtibus contrahendi, ſe conferant, habitationem non mutantes. Tertio: Quid ſi iidem incolæ, tam maſculi, quàm fœminæ eo transferant habitationem illô ſolô animô, ut absque Parocho & teſtibus contrahant? iidem Cardinales ad primum & ſecundum, non eſſe legitimum matrimonium inter ſic contrahentes cum fraude. Ad tertium verò dubium hujusmodi, ſi domicilium ferè transferatur, matrimonium eſſe validum reſponderunt & reſolverunt* &c. Hanc reſponſionem Pontifex laudat, & approbat in illo Brevi, dum ait: *Reſponſum ſeu dubiorum prædictorum reſolutionem hujusmodi authoritate Apoſtolica tenore præſentium approbamus, & confirmamus, illisque*

que inviolabilis firmitatis robur adjicimus. Subjungit deinde, omnes firmitates adhiberi ſolitas ejusmodi Brevibus & Bullis cum derogatoriis contrariorum quorumcunque etiam ſi ſcienter, vel ignoranter à quocunque contingat, aliquid in contrarium attentari, hócque decretum vult, ut ubique obſervetur. Ex quibus reſolvendo caſum noſtrum

Dico: Matrimonium inter Simachum & Lucretiam contractum in loco ubi Tridentinum promulgatum non eſt, ad quem egreſſi ſunt ex iſto ſolo fine, ut poſſint clandeſtinè contrahere, nullius eſſe valoris, atque ideò à ſe invicem hos putatitios conjuges ſeparari, aut de novo contrahere debere in facie Eccleſiæ ſervatis iis, quæ à Concilio Tridentino præſcribuntur. Neque excuſat ipſos, quod oppoſitæ ſententiæ Patroni aſſerunt, fraudem nullam admittere, qui utitur ſuo jure, & per intentionem perverſam non vitiari actum quoad ſuum valorem; nam hoc ſolummodò verum eſt, quando mala intentio nihil mutat in ſubſtantialibus à lege requiſitis, prout tamen hìc contingit, ubi inter ejusmodi ſponſos, qui ſolùm egreſſi ſunt ad clandeſtinè contrahendum in loco non recepti Concilii, decretum URBANI Pontificis, etiamnum exigit præſentiam Parochi & teſtium,

teſtium, tanquam eſſentiale requiſitum per conſtitutionem Tridentini in matrimoniali contractu, à cujus obſervatione iſtam egreſſionem non exprimi, decidit & confirmat hic Pontifex; unde defacto jus nullum habent incolæ locorum, in quibus Concilium Tridentinum receptum eſt, exeundi ad locum non promulgati Concilii ad contrahendum clandeſtinè atque ità ruit Adverſariorum axioma: *qui jure ſuo utitur, non agit fraudulenter*, nam hoc agentes poſt ſæpiùs memoratum Breve Apoſtolicum non jam utuntur ſuo jure, ſed planè agunt in fraudem Concilii, quo circa fraus & dolus eis patrocinari non debet C. *ſedes. de reſcript.* ne lex Concilii Chriſtianæ reipublicæ utiliſſima damnum patiatur; atque per ſimiles furtivas egreſſiones janua iterum aperiatur injuſtis raptibus, iniquis repudiationibus conjugum in thori conſortium aſſumptarum ſine ullius præſentia, qui teſtimonium dare poſſit, continuis concubinatibus, & adulteriis, aliiſque innumeris, & graviſſimis damnis.

Totum iſtud Breve Authenticum, de quo ſermo eſt, cujus exemplum ſe ex authographo illius accepiſſe teſtatur, deſcribit Cardinalis de Lugo *in reſponſis moralibus L. 1. dub. 36.* ubi ait: ſe modò contrariam ſententiam

non

Digitized by Google

non audere ampliùs probare, & Dicaſtillo *tr. 10. de matrim. diſp. 3. dub. 6. N. 42.* huic reſolutioni, quæ jam ipſiusmet Pontificis eſt, ſtandum eſſe aſſerit.

RAPTUS.

IMpedimentum dirimens matrimonii, quod dicitur *Raptus*, eſt violenta fœminæ extractio è domo Parentum & poteſtate in ordine ad matrimonium contrahendum. Ità Anacletus Reiffenſtuel *tr. 14. de Sacrament. diſt. 14. q. 4. §. 15.*

Dicitur primò: *violenta extractio*; quia ad raptum requiritur, violentia vel phyſica per manuum injectionem, vel ſaltem moralis per minas aut metum gravem illata: unde non ſufficiunt ſolæ blanditiæ vel preces, quibus puella educitur è domo paterna.

Dicitur ſecundò *fœminæ;* quia in jure novo Tridentini Concilii comprehenditur raptus cujuscunque fœminæ, ſive virginis ſive corruptæ, ſive meretricis & inhoneſtæ; ratio eſt: quia Tridentinum intendit punire quemcunque raptum, qui libertatem matrimonii offendit: non minùs autem offenditur libertas matrimonii, ſi rapiatur mulier corrupta, aut inhoneſta &c. intentione cum ea ineundi matrimonium, quàm ſi honeſta rapiatur:

 ergo

Digitized by Google

ergo poſt decretum Tridentini *Seſſ. 24. C. 6. de reform. matrim.* perinde eſt cujuscunque ſtatus vel Conditionis ſit fœmina rapta ; per quod corrigitur jus civile, in quo raptus ſolùm fiebat circa mulieres honeſtas, ùt conſtat ex *L. unica. C. de raptu virginum*: *Raptores virginum honeſtarum*, quod à gloſſa extenditur ad alias quoque fœminas honeſtas.

Dicitur tertiò: *in ordine ad matrimonium contrahendum*, quia ſi ob alium finem quis violenter abduceret fœminam, non fieret talis raptus, qui eſt impedimentum dirimens matrimonii inter raptorem & raptam. Unde qui rapti fœminam ex cauſa libidinis, non autem ex intentione contrahendi matrimonium cum rapta, licèt talis verè ac propriè raptus ſit, quoàd culpam graviſſimè prohibitus, & pœna dignus, utpote ſpecies luxuriæ: non eſt tamen propriè raptus à Tridentino intellectus. Neque ejusmodi transgreſſores comprehenduntur decreto Concilii vel incidunt aut ipſi, aut eorundem fautores in excommunicationem, aliásque pœnas à S. Synodo ſtatutas. Unde matrimonium quoque inter talem raptorem & raptam erit validum, ſi iſta poſtmodum liberè conſentiat, quamvis non fuerit conſtituta extra poteſtatem raptoris. Ità Sanchez *L. 7. diſp.*

13. N.

13. N. 4. Palao, Dicaſtillo, Perez, Hurtad. Pirch. Wieſtner, Wex, Emanuel, Rodriq. Præpoſit. Reginald. Conninck, Leſſius, Sporer, Gobat, Reiffenſtuel, &c. ratio eſt: quia Trident. *Seſſ. 24. c. 6.* ſtatim à Principio incipit agere de matrimonio contrahendo inter raptorem & raptam, adeoque de illo tantùm raptu cenſetur agere, qui cauſa matrimonii admittitur maximè cùm illud decretum ponatur ſub rubrica *de reformatione matrimonii*, quod ſignum eſt, loqui de raptu, qui fit in ordine ad matrimonium; nam ubi textus dubius eſt, rubrica probat qualiter intelligendus ſit, ùt bene oſtendit Everardus *in ſuis topicis. loco à rubro N. 6.* quia in dubio ità intelligendus eſt textus, ut conveniat rubricæ, ſub qua conſtituitur: cum igitur rubrica hujus capitis ſit de matrimonio, textus quoque capitis de matrimonio agere dicendus eſt; & ſacrum Concilium illum duntaxat raptum intelligere, qui fit matrimonii ineundi causâ, cùm hic ſolus libertatem fœminæ lædat, cui S. Synodus in matrimonio conſultum eſſe voluit; nam raptus, qui fit cauſa libidinis, ad matrimonium raptam non cogit, atque ità declaratum fuiſſe à S. Congregatione Concilii die 23. Jan. 1586. referunt Pirhing *de raptoribus N. 23.* & Wex *p. 4. Artad. Canonic.*

tr. 2. de ſponſal. §. 4. N. 43. Ex Joanne Gallomart. *in cit. decreto Concilii.* Cujus declarationis mentionem quoque facit Layman. *L. 5. tr. 10. C. 13. N. 5.*

Porrò raptus ſic commiſſus non ſolùm tunc eſt impedimentum dirimens matrimonii inter raptorem & raptam, quando puella per vim abducta revera non conſentit in matrimonium (ſic enim jure naturæ matrimonium foret nullum defectu conſensûs ad ejus valorem neceſſariò requiſiti) ſed etiam tunc, quando puella poſtmodùm quidem verè ac liberè conſentit, adhuc tamen manet in poteſtate raptoris; ratio: quia noviſſimè in Concilio Tridentino *l. cit.* decretum fuit, inter raptorem & raptam, quamdiu ipſa in poteſtate raptoris permanſerit, nullum poſſe conſiſtere matrimonium. Ex quibus præmiſſis ſit reſolvendus ſequens

CASUS.

Hermanus illuſtri Comitum ſanguine natus, cùm ſe opponerent nuptiis conſanguinei, quas ipſe promiſerat, & inire meditabatur cum Roſalia nobili quidem virgine, ſed multò inferioris proſapiæ, & opibus deſtituta, ut exoptato conjugio potiretur, communicato cum puella conſilio, abduxit non invitam, inſciis ejus Parentibus, cùm ſci-

ſciret, hos quoque gravem offenſam illuſtris familiæ metuentes omni modo reſiſtere huic matrimonio, neque in illud unquam eſſe conſenſuros. Jam quæritur, an inter Hermanum & Roſaliam conſiſtere poſſit matrimonium. Et reſolvendo

Dico: Potuit contrahi de præſenti, ac conſiſtere matrimonium inter Hermanum & Roſoliam ignorantibus illius Parentibus abductam. Ratio reſolutionis eſt; quia nec puellæ ſcilicet Roſaliæ, neque Parentibus ejus propriè dicta vis, ac violentia illata eſt per hunc diſceſſum; ergo non fuit verus raptus, qui, ut propriè talis ſit, violentiam requirit, & conſequenter non incurrebant impedimentum, aliásve pœnas à Concilio conſtitutas. Antecedens probatur: tum quia, ut caſus dicit, Hermanus abduxit non invitam, ſed conſentientem Tum quia Concilium Tridentinum in ſuo decreto aliud non intendit, quàm favere libertati matrimonii, & cavere, ne fœmina invita, & repugnans cogatur illud inire cum raptore: ergò etiamſi Parentes diſſentiant, ſi tamen puella ipſa conſentiat in ſui abductiónem, non læditur libertas matrimonii, adeóque propter diſſenſum Parentum non incurruntur pœnæ raptui deſtinatæ. Et quamvis conſenſus Parentum

rentum requiratur ad honeſtatem matrimonii, ut licitè & decenter ineatur, non tamen requiritur ad ejusdem validitatèm, ſed ad hanc ſolùm requiritur, ut ipſa fœmina liberè contrahat cum raptore, quod ex eo patet, quia Eccleſia plùs non exigit ad matrimonii valorem, quàm unicè ut reſtituatur rapta priſtinæ libertati, & in loco tuto, ac libero collocetur, quando etiam violenter & contra ſuam voluntatem rapta eſt, nec petit concilium præter hoc ullo modo conſenſum Parentum: cùm igitur ſola voluntas & conſenſus fœminæ & ejus diſſenſus attendatur à S. Synodo, non verò placitum & conſenſus Parentum, decreto & pœnis Concilii Tridentini locutus non eſt; ergo inter Hermanum & Roſaliam conſentientem & volentem impedimentum dirimens matrimonii nullum eſt, quantumcunque Parentes reclament, ac inviti ſint. Tum quia: ſi puella invita abducatur causâ matrimonii contrahendi, Parentibus (idem dic de tutoribus) volentibus, adhuc locum habent pœnæ raptûs, & matrimonium nullum eſt: ergo à contrario, ſi puella velit, & Parentes nolint, pœnæ raptûs locum non habent, & matrimonium validum eſt.

Et hæc de impedimentis matrimonii dirimentibus humili expoſita ſtylo cedant in

M. D. T. O. M. G.

Digitized by Google

EDITIONIS TERTIÆ APPENDIX DE DISPENSATIONE Super Impedimentis dirimentibus.

DIſpenſatio matrimonialis ſuper impedimentis dirimentibus, de qua ſolùm hìc agitur, eſt *juſta ex cauſa facta relaxatio obligationis legis, matrimonia invalidantis.* Ratio eſt; quia diſpenſatio, utpote à jure exorbitans, & vulnus juris faciens, tollit obligationem juris, quô prohibetur, nè matrimonium certas inter perſonas contrahatur, vel ſi jam eſt contractum, ipſum irritum reddat. Hæc, quippe impedimentorum matrimonii dirimentium natura eſt, non quod matrimonium ſemel validè contractum dirimant, ſed quia efficiunt, ut validè contrahi non poſſit; &, ſi contractum fuerit, dirimunt, atque diſſolvunt illud vinculum,

quô duo putatitii conjuges apparenter erant colligati, quæ omnia diſpenſatione tolluntur.

Impedimenta matrimonii dirimentia alia ſunt jure *naturali* vel *divino* talia: alia jure duntaxat *Eccleſiaſtico*. Primi generis dirimentia ſunt: *Error*: *Conditio*: *Vis*: *Ligamen*: *Impotentia*: *Conſanguinitas* in linea recta (*probabiliſſimè*) in infinitum (*vide ſeriei pag. 46. ſuprà*) & primo gradu lineæ tranſverſæ. *Affinitas* in primo gradu lineæ rectæ ex copula licita: dico notanter, *lineæ rectæ*: quia affinitas in primo gradu lineæ tranſverſæ jure naturæ non dirimit matrimonium; ſicut nec affinitas in primo gradu lineæ rectæ ex copula illicita; quia cum his S. Sedes jam ſæpe diſpenſavit, teſte Laymano *lib. 5. tr. 10. p. 4. cap. 6. n. 6.* hac ratione etiam additum fuit: ex *copula licita*.

Impedimenta ſecundi generis dirimentia ſunt ſequentia; *Cognatio ſpiritualis*: *Cognatio legalis*: *Cognatio carnalis*, ſeu conſanguinitas, & affinitas, exceptâ lineâ rectâ, & primo gradu lineæ tranſverſæ in conſanguinitate; & primo gradu lineæ rectæ in affinitate ex copula licita, ſeu conjugali: *Votum ſolemne religioſæ Profeſſionis*: *Ordo*: *Crimen*: *cultûs diſparitas*: *publica honeſtas*: *clandeſtinitas*: *raptûs*. His præmiſſis

Certum

Digitized by Google

Certum eſt primò. Papam non poſſe diſpenſare in impedimentis jure naturali, vel divino dirimentibus; ratio eſt: quia inferior (qualis reſpectu Dei etiam Papa eſt) nequit tollere, vel relaxare legem ſuperioris, niſi conceſſam ad hoc ab eo habeat poteſtatem. *arg. Clem. ne Romani. de elect.* atqui nec ex SS. paginis, nec ex SS. Canonibus, nec ex traditione, vel uſu eccleſiæ, nec aliunde conſtat Papæ conceſſam eſſe à Deo poteſtatem diſpenſandi in præfatis impedimentis, ùt bene obſervat gloſſa *in c. litteras. ℣. diſpenſare. de reſtitut. ſpoliat.* ergo &c. Ex quo bene ſequitur, ſolum DEum diſpenſare poſſe in talibus impedimentis, ubi ſunt diſpenſabilia. Quod ultimò addo; quia ſi impedimentum obſtet ſubſtantiæ contractûs, ùt *impotentia*, etiam DEus diſpenſare nequit; cùm rerum eſſentias immutare non poſſit.

Certum eſt ſecundò. Papam poſſe diſpenſare ſuper impedimentis jure duntaxat eccleſiaſtico dirimentibus. Ratio eſt: quia qui poſuit impedimenta, etiam poteſt ea tollere; atqui Papa poſuit præfata impedimenta; ergo etiam poteſt ea tollere, conſequenter diſpenſare. Major difficultas eſt, an Epiſcopus diſpenſare poſſit ſuper impedimentis matrimonium dirimentibus? pro hujus difficul-

ficultatis ſolutione, cum communi DD. loquendo ſententia,

Certum eſt tertiò. Præter ſummum Pontificem *per ſe*, *regulariter*, & *jure Ordinario* nullum alium in prædictis impedimentis diſpenſare poſſe; Ratio clara eſt: quia in lege ſuperioris nequit diſpenſare inferior. *arg. C. cùm inferior. de majorit. & obedient.* & *Clem. nè Romani. 2. de elect.* ibi. *lex ſuperioris per inferiorem tolli non poteſt*: nisi hoc ab ipſomet ſuperiore vel jure, vel conſuetudine reperiatur inferiori eſſe conceſſum: atqui non reperitur vel jure, vel conſuetudine conceſſum hoc eſſe Epiſcopis, ut in impedimentis dirimentibus diſpenſet: ergo iſtorum diſpenſatio non ad Epiſcopos, ſed ad ſolum Pontificem pertinet.

Notanter autem dixi *per ſe*, *regulariter*, & *jure ordinario*; nam communis iterum doctrina eſt, Epiſcopum *per accidens*, *extraordinariè*, ſeu in caſu *magnæ* & *urgentis neceſſitatis* ſuper impedimentis jure duntaxat Eccleſiaſtico dirimentibus, ſecluſo etiam omni privilegio, diſpenſare poſſe pro Conſcientiæ foro tantùm. Quod bene addo, ſiquidem pro foro externo in nullo prorſus caſu Epiſcopum diſpenſare poſſe ſuper aliquo impedimento dirimente, nisi ſpeciale habeat privilegium à Papa

Papa conceſſum, tantùm abeſt, ut DD. tanquam certum doceant, ut potiùs ſupponant. Ratio autem ſuperioris doctrinæ eſt; quia non eſt veroſimile, Pontificem in urgente neceſſitate eſſe invitum. Tum quia id bono animarum expedit, ut tunc Epiſcopo competat iſta facultas: imò hoc ab Epiſcopis fieri, conſtat Pontifici: cùm ergo non contradicat, meritò præſumitur, id taciturnitate ſua ipſum approbare. Verùm ad mox tactam facultatem ab Epiſcopo exercendam, ſequentes conditiones, & circumſtantiæ omnium DD. calculis requiruntur:

Prima Conditio eſt, ut impedimentum ſit *occultum*; Ratio hujus requiſitæ conditionis eſt; quia ideo potiſſimum Epiſcopus aliquando *per accidens* diſpenſare valet cum iis, qui ligati impedimentô matrimonium contraxerunt, ut evitetur publicum ſcandalum ex ſeparatione ſecuturum, eo quòd proles v. gr. jam ſit ſuſcepta, aut unus conjugum ſolus ſciat impedimentum, illudque abſque gravi famæ jactura detegere nequeat, &c. atqui ſi impedimentum eſſet publicum, hæc ratio ceſſaret; imò potiùs ſcandalum foret, ſi exiſtente impedimento publico conjuges ſimul manerent; cùm authoritate publica facilè ſeparari & poſſent, & deberent: ergo

debet

debet eſſe occultum. Explicativè, hoc eſt: vel omnino ſecretum, ità ut nulla ratione probari valeat; vel ſi quidem ſcitur ab uno vel altero, nullum tamen periculum eſt, quod ulterius publicetur; quod cautè addo; quia quandocunque rationabile adeſt periculum, quod impedimentum evadet publicum; etiam periculum eſt, quod matrimonium occulta diſpenſatione validè contractum, majori cum ſcandalo iterum ſeparari debeat; Diſpenſatio enim pro ſolo foro interno ab Epiſcopo facta, nullô modô attenditur in foro externo; imo ab ipſomet Epiſcopo diſpenſante, ſeparari deberet, in caſu, quo impedimentum evaderet publicum.

Quod autem ly *occultum* ſic bene explicem; teſtem audi Sanch. *l. 2. de matrim. diſp. 40. n. 11.* ubi inquit: *dicitur autem impedimentum occultum, quod non publicè conſtat, nec facilè conſtare poteſt, periculumque non eſt, ut in foro externo detegatur.* Audi Gobat. *tract. 9. n. 576.* ubi ità loquitur: *ſi impedimentum ſit occultum, id eſt: ſecretè quidem notum tribus aut quatuor, non tamen majori parti viciniæ.* Teſtem audi P. Ludovicum Engl notum ab iis quæ clarè, ſolidè, ac ſuccinctè ſcripſit in libros Decretalium, aliisque opuſculis: is in Manual. Paroch p. 3. c. 5. §. 5. Sect. 13. ita

habet:

habet: *denique requiritur, quod impedimentum ſit occultum: dicitur autem occultum, etſi unus vel alter ſciat, non tamen in loco divulgatum ſit.* Teſtem Audi Barboſ. p. 2. de off. & poteſt. Epiſc. alleg. 28. n. 39.: *Occultum dicitur non ſolum, ubi nulli teſtes adſunt; verùm etiam prout diſtinguitur à publico; hoc eſt; nullâ publicâ famâ notatum.* Et

Hinc notitia, quam unus tantùm habet de aliquo facto, imò etiam duorum, vel trium, non præjudicat, quo minùs dictum, vel factum, aut delictum aliquod occultum ſit, dumodo iſta notitia conſideretur ſimpliciter in ſe, & non deducta in judicium, & forum externum. Unde in praxi (loquor cum noſtro P. Reiffenſtuel in appendice, quam annexuit ad quartum ſuum tomum Juris Canonici *§. 2. de condit. n. 46.*) omnino attendi debet, non tantùm quot perſonis, ſed etiam qualibus impedimentum ſit notum; quia bene fieri poteſt, ut reſpectu quinque prudentum, & timentium DEum, qui impedimentum nôrunt, prorſus nullum ſit periculum ulterioris divulgationis; & econtra reſpectu duorum vel trium v. g. garrulorum, aut inimicorum &c. divulgationis periculum revera adeſſe videatur; præſertim ſi

etiam

Digitized by Google

etiam aliæ circumſtantiæ ejusmodi periculum minentur.

Secunda Conditio eſt; ut adſit *gravis cauſa* ſeu *neceſſitas.* Ratio hujus requiſitæ conditionis eſt; quia Epiſcopi non poſſunt contra SS. Canones diſpenſare ſine magna neceſſitate, vel evidenti utilitate eccleſiæ; Epiſcopi enim dicuntur Cuſtodes Canonum; *Can. cum quibus 36. cau. 24. q. 3.* ergo, ut poteſtas diſpenſandi cenſeatur Epiſcopis tacitè conceſſa, exigente id munere epiſcopali, omnino neceſſaria eſt gravis cauſa, ſeu magna neceſſitas; ut v. g. ſi conjuges absque ſcandalo, vel ſine jactura famæ, vel præjudicio prolis, aut gravi incontinentiæ periculo ſeparari ampliùs nequeunt, &c.

Tertia Conditio eſt, ut neceſſitas ſit *urgens.* Ratio hujus requiſitæ conditionis eſt; quia ideo tacitè conceditur Epiſcopo facultas diſpenſandi pro foro interno in impedimento dirimente, quia id requirere videtur paſtorale officium epiſcopi, ut poſſit animabus concreditis *urgente* gravi neceſſitate in hujusmodi Caſibus extraordinariis ſubvenire, cùm aliàs Oves ſubditæ manerent deſtitutæ neceſſariis mediis, & expoſitæ graviſſimis periculis ſcandalorum, diffamationum &c. quod ſuavi gubernationi Eccleſiæ repugnat, utpo-

utpote, quæ poteſtatem ſuam non in deſtructionem, ſed in ædificationem animarum gerit, juxta illud 2. Corinth. 10. *nam etſi ampliùs aliquid gloriatus fuero de poteſtate noſtra, quam dedit nobis Dominus in ædificationem, & non in deſtructionem*: ergo, licet adſit gravis cauſa, vel neceſſitas, ſi tamen pro tempore non urget, ſed bene patitur moram, donec à Pontifice Româ diſpenſatio veniat, ſimulque pateat facilis aditus ad Pontificem, ſaltem per litteras; vel ad Nuntium Apoſtolicum (de quo infra) aut alium ſpeciali privilegio aut poteſtate diſpenſandi præditum, ceſſat ratio, ob quam Epiſcopo competat poteſtas diſpenſandi; conſequenter &c.

Ut porrò ſcias, quæ neceſſitatem *urgentem* reddant, ſequentia lege: I. ſi nullus vel difficillimus patet aditus ad ſummum Pontificem, prout contingere poteſt tempore Schiſmatis, aut belli, quô etiam litteræ ad ſedem Romanam impediuntur. II. Si cauſa ſecum habeat in mora periculum gravis damni, aut præjudicii; ut ſi unus conjugum in articulo, vel periculo mortis exiſtens, liberos habeat, qui illegitimè hæreditati ſuccederent &c. donec diſpenſatio Româ, vel à Nuntio Apoſtolico veniat. III. Si periculum incontinentiæ ex dilatione diſpenſatio-

tionis rationabiliter timeatur, prout *ordinariè* timendum. Dico *ordinariè*, quia non nego extraordinariè caſum dabilem, ubi absque omni incontinentiæ periculo diſpenſatio Româ expectari poteſt, v. g. ſi ambo conjuges timentes DEum, & impedimenti ſint conſcii, præcipuè ſi carnali commixtioni aliàs non multùm ſint dediti, tales enim ſi debitè inſtruantur, quod ſub peccato mortali ab omni delectatione, tactu, & copula carnali abſtinere debeant, donec diſpenſatio inter paucas ſeptimanas Româ veniat, debitam abſtinentiam illico, & libenter promittent, & (teſte experientia) ſervabunt.

Quarta Conditio eſt, ut matrimonium bona fide, hoc eſt: absque impedimenti notitia, ſit contractum, & quidem in facie eccleſiæ, præmiſſis denuntiationibus. Ratio hujus conditionis requiſitæ quoad primam partem eſt; quia præſumi non poteſt velle Pontificem, ſi mala fide contractum fuit matrimonium, tunc facultatem concedere epiſcopo, nè favor præſtetur audaciæ, & iniquitati ſic contrahentium. Tum quia ſic ſtatuit Concil. Trident. Ss. 24. de reform. matr. cap. 5.: *Si quis inter gradus prohibitos ſcienter matrimonium contrahere præſumpſerit, ſeparetur, & ſpe diſpenſationis careat*: ergo illi, qui

qui mala fide, hoc eſt: cum impedimenti notitia matrimonium contrahunt, à jure indigni declarantur diſpenſatione; ex ſubſequo, cùm Epiſcopi poteſtas diſpenſandi præcipuè innitatur tacito, & præſumpto conſenſui ſummi Pontificis, non poteſt exerceri contra expreſſam ejusdem mentem: *præſumptio enim cedit veritati; L. Imperatores. ff. de probat.* Nihilominus tamen ſufficit, ſi unus è conjugibus in bona fide fuerit; quia iſta diſpenſationis incapacitas ſtatuta fuit in pœnam contrahentium mala fide: *in pœnis autem benignior eſt interpretio facienda. C. in pœnis. de reg. Jur. in 6.* Nam *odia reſtringi, & favores ampliari C. odia. eodem.* Tum quia, *æquum non eſt, puniri innocentem ob alterius culpam. arg. C. non debet. eod. in 6.* ibi: *non debet aliquis alterius onere prægravari.*

Ratio quoad ſecundam partem exprimitur à Concil. Trid. mox ſupra cit. decernente: *quod ſi ignoranter id fecerit, ſiquidem ſolemnitates requiſitas in matrimonio neglexerit, eisdem ſubjiciatur pœnis.* Rationem adjungit: *non enim eſt dignus, qui eccleſiæ benignitatem facilè experiatur, cujus ſalubria præcepta temerè contempſerit.*

Et hæ ſunt conditiones, quibus concurrentibus Epiſcopo datur tacitè facultas diſpen-

ſpenſandi pro ſolo foro interno, vi officii ſui paſtoralis, licèt non regulariter, & ordinariè, ſed extraordinariè & per accidens, quæ etiam extendenda ſunt ad Capitulum ſede vacante, quod ſuccedit Epiſcopo, in omnibus, quæ ſunt jurisdictionis ordinariæ, non verò in iis quæ Epiſcopo ex facultate, aut privilegio ſpeciali competebant. Unde *ſciendum*, recenſitas hucusque conditiones minimè requiri ad diſpenſandum ſuper impedimentis, ſuper quibus Epiſcopus diſpenſare valet ex privilegio; quia ad diſpenſandum ex ſpeciali facultate, vel privilegio ſufficit quælibet rationabilis cauſa, ob quam licitè poteſt, & ſolet diſpenſare Papa; econtra ad diſpenſandum jure ordinario, & absque privilegio, (concurrentibus etiam cæteris ſuprà recenſitis conditionibus) adeſſe debet cauſa magna, & *urgentis* neceſſitatis. Aliud quippe eſt diſpenſare jure ordinario & absque privilegio & quidem pro ſolo foro conſcientiæ: aliud diſpenſare ex ſpeciali facultate, vel privilegio; nam licèt cauſa, ob quam Epiſcopus jure ordinario diſpenſare poteſt pro foro interno, ſeu conſcientiæ, magna videlicet, & *urgens* neceſſitas, ſufficiat etiam, ut ex privilegio in caſibus ſibi conceſſis diſpenſare poſſit, etiam pro foro exter-

externo; non tamen econtra, quævis cauſa, ob quam diſpenſare valet ex privilegio, ſufficit, ut etiam jure ordinario diſpenſare queat pro foro interno ſuper impedimentis occultis.

Specialia autem quaſi privilegia; & facultates diſpenſandi ſuper impedimentis *dirimentibus* pro utroque foro Epiſcopis Germaniæ concedi ſolent ſequentes: I. Diſpenſandi in tertio, & quarto tam *Conſanguinitatis*, quàm *affinitatis* gradu ſimplici, & mixto, *tantùm cum pauperibus* in contrahendis matrimoniis: in contractis verò cum Hæreticis converſis etiam in ſecundo ſimplici, & mixto, dumodo nullô modô attingat primum gradum; & in his caſibus prolem ſuſceptam declarandi legitimam.

II. Diſpenſandi ſuper impedimento *publicæ honeſtatis* ex ſponſalibus proveniente.

III. Diſpenſandi ſuper impedimento *criminis;* neutro tamen conjugum machinante; & reſtituendi jus petenti debitum amiſſum.

IV. Diſpenſandi in impedimento *Cognationis ſpiritualis*, præter levantem, & levatum in baptiſmo. Hæ tamen quatuor diſpenſationes matrimoniales non conceduntur Epiſcopis, niſi cum clauſula: *dumodo mulier rapta non fuerit, & ſi rapta fuerit, in poteſtate raptoris*

Digitized by Google

non exiſtat. Item, prædictæ facultates gratìs, & ſine ulla mercede exerceri debent, & ad quadriennium tantùm conceſſæ intelliguntur, ità ut de quadriennio in quadriennium renovari debeant, & Epiſcopi pro eis ſolicitare, ac hoc ipſo fateri debeant hujusmodi facultatem ſibi non de Jure communi, ſed ex mera gratia, & ſpeciali privilegio Pontificio competere. Cavere autem debent, nè ſimili utantur privilegio absque juſta cauſa ex parte Oratorum, ſeu diſpenſandorum; quia, ùt jura clamant, invalida eſt (intellige, pro utroque foro) diſpenſatio in lege ſuperioris, ſi fiat absque juſta cauſa, nè ſecus diſſipatio potius quàm diſpenſatio diceretur. Et hæc ſcire multum juvat, an Romam confugere debeamus, an verò apud Epiſcopum auxilium habere poſſimus. Cæterùm,

De Epiſcopis hucusque dicta, intelligi etiam debent de Nuntiis Apoſtolicis, qui gaudent omni ea poteſtate, quam Jure ordinario habent Epiſcopi; reputantur enim ordinarii Judices ſuæ Provinciæ *textu expreſſo c. 2. de off. legat. in 6.* Præterea conſueverunt Pontifices Nuntiis Apoſtolicis ſpecialem adhuc concedere facultatem *diſpenſandi gratìs cum quibuscunque perſonis intra ſuæ legationis*

tionis limites exiſtentibus, quæ quarto, aut etiam tertio & quarto, etiam multiplicibus conſanguinitatis, & affinitatis gradibus conjunctæ ſunt, vel aliàs ſe, non tamen ſub ſpecie faciliùs habendæ diſpenſationis à Sede Apoſtolica, carnaliter cognoverunt; nec non cum aliis quibuscunque ſimilibus gradibus conjunctis, vel ſe attinentibus, qui propter anguſtiam loci, aut ad ſedandas inimicitias, vel ob dotem minùs competentem, aut alias rationabiles cauſas matrimonium invicem contrahere voluerint. Hæc ſunt verba formalia *Brevis* dati ab Innocentio X. alicui Nuntio Apoſtolico, præmiſsâ tamen clauſulâ indicante, hujusmodi poteſtatem Nuntio non competere reſpectu omnium, ſed ſolùm reſpectu *eorum, qui ob paupertatem, & itineris incommoditatem ad Romanam Curiam pro diſpenſatione accedere, vel mittere non poſſunt.*

Cauſa autem, ob quas Curia Romana diſpenſare ſolet, licèt plures ſint, præſertim ſequentes quindecim adducuntur.

Prima eſt *Prærogativa perſonæ dignitatis Regiæ, aut verè principalis.* Ità Trid. Concil. quod, dum *Seſſ. 24. de Reformat. Matr. cap. 5.* ordinat, ut in *ſecundo gradu* nunquam diſpenſetur, providè excipit *magnos Principes.* Et non ſine pondere; quia decens eſt, ut Ec-

cleſia benignam ſe exhibeat erga Principes perſonas, ceu ſui Defenſores & Patronos. Ubi ſciendum, quod Concil. Trid. per ſecundum, tam affinitatis, quàm conſanguinitatis gradum intelligat, dumodo affinitas ortum ſuum habeat ex copula licita, ſeu conjugali, non verò ex copula illicita ſeu fornicaria. Ratio; quia alias reſpectu perſonarum non Principum omnino clauſa eſſet via diſpenſandi ſuper affinitatis impedimento ex copula fornicaria, contra conſuetudinem Pœnitentiariæ Romanæ, quæ pro foro interno (pro hoc enim foro diſpenſatio ordinariè petitur ſuper impedimento affinitatis ex copula illicita, hoc ipſo, quod ordinariè ex occulto delicto proveniens ſit occultum) paſſim, & ſine ulla difficultate diſpenſat, etiam in primo affinitatis gradu, præſertim poſt contractum Matrimonium, caſu quo Maritus v. g. ante Matrimonium copulam habuit cum Sorore Uxoris ſuæ, aut Uxor cum Fratre Mariti.

Secunda eſt *Conſervatio Familiæ, nè defectu hæredis pereat illuſtris, aut nobilitate præcellens Familia.* Ex hac cauſa Pontifex etiam cum Sacerdotibus & Religioſis diſpenſat. Et meritò: quia talium Familiarum conſervatio

vatio facit pro bono communi. Sub eadem ratione huc reducunt alii, imò ut diſtinctam adducunt; nempe *ut bona intra eandem maneant Familiam, quatenus in ſuo ſplendore ac dignitate conſervari valeat.*

Tertia eſt *Excellentia meritorum* in Eccleſiam, ratione inſignium laborum, vel periculorum in bello v. g. contra Eccleſiæ hoſtes, vel aliàs propter Eccleſiam exantlatorum. Dignum enim eſt, ut tales majorem experiantur benignitatem Eccleſiæ.

Quarta Cauſa eſt *extinctio litis* vigentis inter Oratores vel eorum Parentes, Conſanguineos vel Affines ſuper re magni momenti v. g. ſuper hæreditate, dote, vel aliis bonis, ſi cujusmodi lis viâ matrimonii extinqui, aut tolli poteſt. Ratio eſt: quia ex ſimilibus litibus ſæpe maxima ſcandala, damna, diſcordiæ, & alia peccata oriuntur, quæ diſpenſatione tolli poſſunt.

Quinta Cauſa eſt *gravis inimicitia.* Ità communis DD. ob mox prætactam rationem. Huic vicina eſt

Sexta, *Confirmatio*, vel *Conſervatio Pacis.* Ratio: quia Pax Civium plurimùm conducit pro bono publico: & intuitu il-

M 5 lius

Digitized by Google

lius conceduntur, quæ aliàs ſunt prohibita: ergo:

Septima vel potiùs eadem cum immediatè tribus præcedentibus, Cauſa eſt *evitatio Scandali;* ubi per Scandalum intelligitur occaſio, Cauſa, vel periculum peccati. Ratio eſt; quia univerſaliter etiam propter evitanda Scandala à communi Jure receditur, *Arg. C. 2. de novi operis nuntiat.* Ergo &c.

Octava Cauſa eſt anguſtia loci. Intelligitur autem per *anguſtiam loci* talis locus, in quo puella non invenit ſponſum ſibi æqualem, vel parem, niſi conſanguineum aliquem, vel affinem, conſequenter ſi tali nubere non liceret, deberet manere innupta vel nubere tali, qui vel ſtatu, conditione, aut divitiis inferior, vel ætate, moribus, genio aut religione diſpar eſſet. Ubi *ſciendum* juxta Sanchez, & alios, etiam tunc cenſeri anguſtiam loci, etiamſi in vicinia puella poſſet habere ſibi æqualem non conſanguineum. Cujus ratio eſt; quia duriſſimum eſt fæminis extra proprium oppidum nubere, ut ſic Pátris & Matris, conſanguineorum, & amicorum conſortio deſtitutæ acerbam, & quaſi ſolitariam vitam tranſigant. Ergo &c.

Nona

Digitized by Google

Nona Cauſa eſt defectus *competentis dotis*, dum nempe fæmina vel omnino nullam, vel non competentem habet dotem ad nubendum alicui æquali.Ità communis. Ratio eſt; quia niſì in tali Caſu diſpenſaretur, fæminæ ſæpè innuptæ manere, vel inæquali nubere deberent; quod utrumque bono communi adverſatur; cùm ex primo pericula incontinentiæ, ex iſto autem infelices paſſim exitus ſequantur. Ergo &c.

Decima Cauſa eſt *ætas fæminæ*, quæ videlicet 24. Annum excedens virum ſibi parem hactenus non invenit. Iterum communis. Ratio hujus eſt; quia ſicut Leges Civiles ſolent favere puellabus 24. Annum excedentibus, ità etiam Pontifex, nè in periculo incontinentiæ omnino innuptæ manere debeant. Ergo &c.

Undecima Cauſa eſt, *Copula cum Conſanguinea* vel *affine*, vel alio impedimentum habente, perpetrata, & propalata ex imprægnatione v. g. ſubſecuta prole. Ratio hujus eſt; quia diſpenſando conſulitur famæ, & honori mulieris, utpote, quæ aliàs diffamata & innupta maneret, vel certè virum acquirere non poſſet. Tum quia Scandalis inde timendis providè obviatur, ad

quæ

quæ vitanda à Jure communi recedere expedit. Ergo &c. Et hæc cauſa eſt una ex urgentioribus adeo, ut intuitu illius, vel potius ob effectus inde ſecutos aut ſecuturos Pontifex non tantùm cum Nobilibus, ſed & plebæis etiam in propinguis v. g. ſecundo Conſanguinitatis gradu pro foro externo quoque diſpenſare ſoleat.

Hic noveris velim, quod, ſi copula fuit habita *ſub ſpe faciliùs propterea impetrandæ diſpenſationis*, id in Libello Supplicationis exprimi debeat. Ità ſtylus Curiæ.

Decima tertia Cauſa eſt; ſi *locus ad littus maris*, & propterea continuis piratarum, & Fidei Catholicæ hoſtium incurſionibus expoſitus ſit, ob quod extranei difficulter haberi poſſunt ad nubendum cum hominibus in tali loco exiſtentibus. Hæc cauſa easdem habet rationes cum *Anguſtia loci*.

Decima quarta Cauſa eſt *Matrimonium cum ignorantia impedimenti bona fide contractum*. Maximè ſi jam eſt conſumatum, & proles ſubſecuta, tunc enim diſpenſatio facillimè obtinetur. Ratio eſt: quia diſſolutio Matrimonii bona fide contracti ſine gravibus incommodis, aut ſcandalis

dalis rarò fieri poteſt. *Arg. C. quia circa de conſanguin.* ergo &c. Nihilominus requiritur hìc, ut matrimonium non tantùm ſit contractum bona fide, ſed etiam in facie Eccleſiæ, & præmiſſis denuntiationibus, uti expreſsè ſtatuit Concil. Trid. *Seſſ. 24. de Reform. Matr. Cap. 5.* Unde ſi aliter factum, vel matrimonium mala fide contractum eſſet, in ſupplicatione exprimi deberet.

Decima quinta & generalis Cauſa diſpenſandi eſt, vocata *ex certis rationabilibus cauſis*; dum videlicet Oratores ex honeſta Familia vel Nobiles ſine allegatione alicujus certæ cauſæ petunt diſpenſationem, allegando cauſam, vel cauſas in genere, & rogando, ut Papa cum ipſis diſpenſet, *certis ex cauſis animum eorum moventibus.* Et ob has Papa diſpenſare ſolet, ità tamen, ut extraordinariam taxam pecuniariam ſolvendam eis imponat, quæ pecuniæ dein ad uſus pios pro bono communi applicantur v. g. in redemptionem captivorum, in auxilium pro expeditionibus contra Turcas, vel infideles, in auxilium pro Miſſionariis Apoſtolicis, pro reſtauratione Eccleſiarum &c. His cauſis expoſitis pro praxi *Sciendum*, diſpenſationes ſuper impedimentis

tis matrimonii Romæ alias ſollicitari, & expediri pro foro externo, ſeu potiùs pro utroque foro tam externo, quàm interno ſimul : alias verò pro ſolo foro interno, quando videlicèt impedimentum eſt occultum.

Pro foro externo aliæ petuntur, & conceduntur in forma pauperum, ſeu gratìs: aliæ in *forma ordinaria.* Eſt autem diſpenſatio in *forma pauperum* illa, quâ pro foro externo ex legitima cauſa gratis diſpenſatur cum verè pauperibus, & miſerabilibus perſonis, non habentibus ſufficientia media ad ſolvendam taxam pecuniariam, alias ſolvi ſolitam. Et hæc Diſpenſatio ob nullam aliam cauſam à Romana Curia dari ſolet, quàm ob copulam, vel ſuſpicionem copulæ inter laborantes impedimento habitæ, vel potiùs ob mulieris infamiam, & ſcandala veroſimiliter inde ſecutura, nisì matrimonium inter eos ſequatur. Extra Curiam verò Romanam, Nuntius vel Epiſcopus, utpote ex Privilegio ſeu ſpeciali facultate generaliter conceſſa diſpenſantes, non tantùm ex mox dictis; ſed etiam ex aliis ſupra quindecim enumeratis cauſis in *forma pauperum*, ſeu gratìs diſpenſant. Imo, ſi Epiſcopus vi Privilegii diſpenſat, diſpenſatio cum quovis etiam

etiam divite ſemper gratis, & in forma pauperum fieri debet. Ut patet ex dictis ſupra de ſpecialibus Privilegiis Epiſcoporum.

Pro foro externo diſpenſationes aliæ expediuntur Romæ in *Dataria*, & quidem omnes & ſolæ illæ, quæ in remotioribus gradibus, videlicet in *quarto*, vel *tertio*, & *quarto* petuntur. Aliæ in *Cancellaria*, quæ in *tertio* vel *ſecundo* & *tertio* petuntur. Aliæ in *præfectura Brevium*, & ſub annulo piſcatoris; illæ nempe omnes & ſolæ quæ in *primo affinitatis*; vel *primo & ſecundo*; vel in *primo & tertio*; vel *primo & quarto conſanguinitatis* vel *affinitatis* gradu ſollicitantur.

Quæ verò pro ſolo foro interno ſuper impedimento *occulto* petuntur, expediuntur Romæ à *Sacra Pœnitentiaria*, quæ ſuper quovis impedimento *dirimente* Jure Eccleſiaſtico legitima exiſtente cauſa, diſpenſat tam ante, quàm poſt contractum Matrimonium, exceptô impedimentô conſanguinitatis, ſuper quo ante contractum Matrimonium nunquam, poſt contractum verò in *tertio*: item in *quarto* gradu (conſanguinitate occulta), minimè verò in *primo*, & *ſecundo* diſpenſare ſolet, etſi Conſanguinitas occulta ſit. Itá ex ſtylo, & praxi. Econtra ſuper impedimento *affinitatis* etiam in primo gradu

lineæ

lineæ rectæ & transverſæ diſpenſat. Porro pro praxi faciliore, majorique commoditate annecto quasdam Supplicationis formulas:

Formula pro obtinenda Româ Diſpenſatione quoad forum externum in forma ordinaria, ſuper impedimento Conſanguinitatis in tertio & quarto Gradu, ex Cauſa defectûs competentis dotis:

Beatiſſime Pater!

EXponitur humiliter Sanctitati Veſtræ pro parte devotorum illius Oratorum Caroli VVinter Laici, & Claræ Fridin Diœceſis Paſſavienſis, quod, cùm dicta Oratrix dotem habeat minùs competentem juxta ſtatûs ſui conditionem, cum qua virum ſibi non conſanguineum, vel affinem paris conditionis, cui nubere poſſit, invenire nequeat, & dictus Orator cum dicta minùs competente dote Oratricem in Uxorèm ducere intendat. Sed quia tertio & quarto à communi ſtipite provenientibus gradibus invicem conjuncti ſunt, deſiderium ſuum hac in parte adimplere non poſſunt, absque Sedis Apoſtolicæ diſpenſatione. Supplicant igitur humiliter Sanctitati Veſtræ Oratores præfati, quatenus cum iiſdem Ora-

Oratoribus, quod impedimenti quarti conſanguinitatis gradûs hujusmodi non obſtante, Matrimonium inter ſe publicè contrahere, illudque in facie Eccleſiæ ſolemnizare, & in eo poſtmodum remanere liberè & licitè valeant, diſpenſare; diſtantiam verò tertii gradûs non obſtare, declarare, prolemque ſuſcipiendam exindè legitimam nunciare dignemini de ſpeciali gratia. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæterisque contrariis quibuscunque.

Hæc eſt conſueta, ut fieri debet, verbis propriis in curia uſitatis, ac ſine ambagibus, ſuperfluis, cæremoniis, ſimpliciter, ſine quæſito ornatu dictionis, aut verborum concepta Supplicatio, ad cujus normam etiam reliquæ mutatis mutandis, præſertim cauſis, & impedimentorum ſpeciebus, ſimulque additis neceſſariis, formari poſſunt. Neceſſariò autem addi, & clarè exprimi debent ſequentia:

I. Nomen, & Cognomen Oratorum, hoc eſt, illorum, qui diſpenſandi ſunt. II. Nomen Diœceſi, & ſi petatur diſpenſatio ob anguſtiam loci, etiam locus Oratorum exprimendus eſt. III. Juſta & legitima Cauſa ad diſpenſandum. IV. Impedimentum in ſpecie, & diſtinctè. V. Si Oratores plura impe-

Digitized by Google

impedimenta habent, omnia exprimi debent, & quidem VI. in eadem Supplicatione, Copula præhabita; hoc eſt: ſi copula allegatur pro cauſa diſpenſandi, debet exprimi, an *ſub ſpe facilius obtinendi diſpenſationem* fuerit habita, an non? Juxta notorium ſtylum Curiæ, quod idem exprimi debet, in matrimonio invalidè contracto; videlicet, an ſub ſpe faciliùs impetrandi diſpenſationem &c. VII. Exprimi debet matrimonium invalidè contractum, an bona vel mala fide. Inſuper VIII. an ità mala fide contractum etiam fuerit conſummatum; quod intelligendum, etiamſi una tantùm pars fuerit conſcia impedimenti. IX. Si Conſanguinei inæqualiter diſtant à communi ſtipite ut v. g. in Caſu præſenti, unus in tertio, & alter in quarto, conſequenter ambo ſint in tertio, & quarto mixto, exprimi debet uterque gradus, uti clarè vides in præfata formula; hoc autem non ideo, quaſi ſuper propinquiore neceſſaria foret diſpenſatio; ſed ut per ſpeciale Breve declaretur, proximiorem gradum non obſtare. Ita ſtatuit PIUS V. *in Conſt.* quæ incipit: *Sanctiſſimus.*

Et hæc ſunt, quæ ſecundùm hodiernum ſtylum Curiæ, qui ſtat loco legis, *arg.* c. *ex litteris de Conſtit. &c. quàm gravi de reſcript.*

in

in Supplicatione exprimi debent: Et ideo non valet diſpenſatio, quando ſiletur certa qualitas, etiam ignoranter, cujus expreſſionem Jura, vel ſtylus Curiæ ſpecialiter requirunt. Ratio; quia omiſsâ formâ, aut conditione *ſine qua non*, corruit actus; quod etiam verum eſt, etiamſi eâ cognitâ, adhuc Superior diſpenſâſſet: Hinc diſpenſatio ſuper impedimento Matrimonii nulla eſt, quando non fuit expreſſa, vel copula inceſtuoſa, quæ præceſſit, vel contractum invalidè Matrimonium, vel etiam conſummatum. Item ſi taceatur, quod Matrimonium fuerit contractum ac conſummatum ſub temerariâ ſpe diſpenſationis faciliùs impetrandæ. Item quando diſſimulatur veritas alicujus ad rem intrinſecè pertinentis, quâ cognitâ Superior non diſpensâſſet, aut non niſi cum gravi onere: hac de cauſa non valet diſpenſatio, ſi duas habens affinitates, quia fornicatus es cum duabus Sororibus tuæ Sponſæ; vel duas conſanguinitates ex parte utriusque Parentis, vel affinitatem, & conſanguinitatem ſimul, alleges tantùm unicam.

Univerſaliter autem loquendo, Reſcriptum, ſeu Diſpenſatio non valet, ubi intervenit malitioſa Obreptio, aut Subreptio, licèt forſan fuiſſet adhuc obtenta diſpenſatio,

ſi Obreptio aut Subreptio non interveniſſent; Nam omnis diſpenſatio expreſsè vel tacitè habet hanc clauſulam conditionatam; *Si preces veritate nitantur.* Textu claro *C. 2. de Reſcriptis.* Eſt autem *Obreptio*, ubi allegatur falſum; *Subreptio* verò ubi ſiletur verum ad rem pertinens; Diſpenſatio primô modô obtenta, dicitur *Obreptitia*: Secundô modô *Subreptitia.*

Alia Formula pro obtinenda Româ Diſpenſatione quoad forum externum ſuper impedimento Conſanguinitatis in tertio Gradu, ex Cauſa copulæ præhabitæ.

Beatiſſime Pater!

EXponitur humiliter Sanctitati Veſtræ pro parte devotorum illius Oratorum Petri Sommer Laici, & Catharinæ Bärin Diœceſis Salisburgenſis, quod ipſis aliàs ſcientibus, ſe tertio Conſanguinitatis Gradu à communi ſtipite proveniente invicem eſſe conjunctos, Orator prædictus, non quidem datâ operâ, ut crimine admiſſo hæc cauſa foret Sanctitatem Veſtram, & Sedem Apoſtolicam ad miſericordiam, & gratiam erga ipſos faciliores reddendi, ſed ſolùm veſana libi-

libidine victus Oratricem carnaliter cognovit. (Si ſcienter præceſſit copula cum ſpe faciliùs obtinendi diſpenſationem, ponitur ita) *Quodq; ipſis aliàs ſcientibus ſe tertio Conſanguinitatis Gradu eſſe conjunctos, ſub ſpe faciliùs obtinendi à Sanctitate Veſtra diſpenſationem, carnis fragilitate devicti ſe carnaliter cognoverunt.* (Si tantùm una pars ſub tali ſpe peccâſſet, altera verò v. g. Oratrix non, tunc proponitur, uti res ſe habet, v. g.) *præfatus Orator ſub ſpe &c. Oratricem* (*nullam ſpem habentem*) *Sanctitatem Veſtram, & Sedem Apoſtolicam ad miſericordiam & gratiam erga eam faciliores reddendi carnaliter cognovit. Cùm autem Pater Sancte niſi matrimonium inter dictos Oratores contrahatur, dicta mulier diffamata, & innupta remaneret, graviaque exinde ſcandala poſſent oriri, cupiunt præfati Oratores matrimonialiter copulari. Sed quia obſtante impedimento ejuſmodi deſiderium ſuum hac in parte adimplere non poſſunt, absque Sedis Apoſtolicæ diſpenſatione; Supplicant humiliter Sanctitati Veſtræ Oratores præfati, quatenus cum eiſdem Oratoribus quod impedimento tertii conſanguinitatis gradûs hujuſmodi non obſtante, matrimonium inter ſe publicè, ſervatâ formâ Concilii Trid. contrahere, valeant, diſpenſare dignemini &c.*

Notandum hìc, quòd, quando Oratores non Nobiles, ſed plebæi & pauperes ſollicitant pro diſpenſatione ſuper ſecundo Conſanguinitatis vel primo aut ſecundo affinitatis gradu, debeant allegare etiam periculum vitæ, præſertim ſi ſub ſpe facilius obtinendi diſpenſationem peccârunt: Hocque periculum vitæ in formula poſt illa verba: *Graviaque inde ſcandala poſſent oriri*, ſic ponere: *ſimulque utrique parti periculum vitæ immineret.*

Porro, ſi ſupplicatur pro diſpenſatione ſuper impedimento conſanguinitatis, vel affinitatis vel cognationis ſpiritualis, caſu quo ſcienter vel ignoranter præceſſit inceſtuoſa copula, vel matrimonium jam fuit contractum ſive bona, ſive mala fide, rogant Orarores prius pro abſolutione ab excommunicatione, & aliis, deinde primùm pro diſpenſatione tali modo, præmiſſis nempe præmittendis ùt ſuprà, ponitur: *Supplicant igitur humiliter Sanctitati Veſtræ Oratores præfati, quatenus eos ab excommunicationis Sententia, quam propter præmiſſa incurrerunt, inceſtûs reatu, & exceſſibus hujusmodi in utroque foro abſolvere, ac cum eisdem Oratoribus, quod impedimento, &c.* uti in Formula ſecunda mox ſuprà.

Alia

Alia Formula pro obtinenda Româ diſpenſatione quoad forum externum ſuper impedimento Affinitatis in primo Gradu lineæ transverſæ ex copula matrimoniali ortæ, ex cauſa generali dicta *ex certis rationabilibus cauſis*

Beatiſſime Pater

Exponitur humillime Sanctitati Veſtræ pro parte devotorum illius Oratorum Caroli Schaursper Laici, & Iſabellæ Latrouin Diœceſis Seccovienſis, quod præfati Oratores, honeſtarum Familiarum (vel Nobiles) *ex certis rationabilibus cauſis animos eorum moventibus, cupiant matrimonialiter copulari. Sed quia primo affinitatis gradu ſe attinent ex eo proveniente, quod Orator prius Uxorem habuerit Sororem oratricis, deſiderium ſuum hac in parte adimplere non poſſunt. Supplicant igitur humiliter Sanctitati Veſtræ Oratores præfati, quatenus cum eisdem Oratoribus, quod impedimento primi affinitatis gradûs hujusmodi non obſtante, matrimonium inter ſe publicè ſervata forma Concilii Tridentini, contrahere valeant, diſpenſare dignemini. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtituti-*

Digitized by Google

tionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæterisque contrariis quibuscunque.

Supplicatio itaque juxta Stylum Curiæ ritè concepta Romam dirigi debet vel per Recurſum ad RR. Ordinarium, vel ejus Vicarium Generalem, aut Conſiliarium Eccleſiaſticum, vel Practicum Conſiliarium aut Secretarium ejusdem; vel ſi quis hâc viâ incedere nolit, poteſt per ſeipſum vel per tertium alium mediâ poſtâ Ordinariâ Romam dirigere ad aliquem Agentem vel Epiſcopi, vel Principis territorialis, vel ad Procuratorem Generalem alicujus Ordinis per Religioſum talis Ordinis; vel ad alium notum bonum Amicum ibidem exiſtentem, rogando, ut eam in loco debitò porrigere, & expeditionem urgere dignetur; addendo: quod taxam conſuetam, non tantùm ſolvere, ſed labores quoque ſollicitatoris realiter recognoſcere velit.

Abſolutis iis, quæ pro obtinenda Româ diſpenſatione quoad forum externum neceſſaria ſunt; ad examinanda requiſita pro obtinenda diſpenſatione quoad forum internum (præter ſuperiùs jam ſparſim tacta) tantiſper digredior; propterea *ſciendum*, in ſupplicatione diſpenſationis, quæ pro ſolo foro interno ex juſta cauſa Romæ à

S. Pœ-

S. Pœnitentiaria ſuper omnibus & ſolis impedimentis *occultis* jure duntaxat eccleſiaſtico dirimentibus petitur, & conceditur, neceſſario (aliis, quæ pro foro externo apponi debent, ſuppreſſis) exprimenda eſſe ſequentia: I. Ipſum impedimentum in ſpecie. II. Omnia impedimenta occulta, ſi plura Oratores habeant. Et quidem III. In eadem ſupplicatione, niſi unum foret publicum, alia verò occulta, v. g. Affinitas ex fornicatione eſſet occulta, & Conſanguinitas publica; tunc enim impedimentum publicum proponi debet in *Dataria*, vel *Cancellaria* ad impetrandam diſpenſationem pro foro externo; utrumque autem tam publicum, quàm occultum in Pœnitentiaria pro foro interno, non quod hæc etiam ſuper impedimento publico diſpenſet; ſed quia, ſi duplex obſtet impedimentum, difficiliùs diſpenſet Pœnitentiaria etiam ſuper occulto ſolo. IV. Juſta cauſa: plerumque autem allegari ſolent Scandala ſecutura v. g. ob copulam præcedentem; vel matrimonium jam contractum. V. Exprimi debet, ſi matrimonium jam eſt contractum. Item, an in facie Eccleſiæ, & præmiſſis denuntiationibus; an contractum ſit bona, vel mala fide. VI. Gradus conſanguinitatis, & af-

finitatis. VII. Circa impedimentum Criminis ſpeciatim, an cum, vel ſine machinatione. Et hæc ſupplicatio, videlicet pro impetranda diſpenſatione in ordine ad *forum internum*, tametſi certum modum, aut ſtylum non habeat, ſed ſufficiat, ſi recenſita mox neceſſaria, ad captum clare, & ſufficienter, ſine ſuperflua ambage exprimantur; expedit tamen, ut ſervetur ſupplicandi ſtylus in Curia uſitatus, in ſequenti Formula, quam pro majori commoditate appono, expreſſus:

Formula ſupplicationis pro diſpenſatione ſuper impedimento Affinitatis in primo gradu lineæ rectæ poſt jam contractum matrimonium.

Eminentiſſime & Reverendiſſime Domine &c.

E*Xponitur humiliter Eminentiæ Veſtræ, quod Titius Laicus conſcius* (vel ignarus) *impedimenti contraxit in facie Eccleſiæ matrimonium cum Caja, cujus Matrem prius carnaliter cognovit; quare, cùm abſque Scandalo ſeparari non poſſint, & impedimentum ſit*

Digitized by Google

ſit occultum, humillimè ſupplicat pro abſolutionis, & diſpenſationis remedio.

In fine per modum poſtſcripti, procurans litteras reverentialiter inſinuat, & rogat, quo litteras diſpenſationis dirigere debeat Cardinalis Pœnitentiarius v. g.

P. S. *Dignetur Eminentia Veſtra reſponſum dirigere Viennam in Auſtria, ad me infra ſcriptum.*

Ex qua formula vides, quòd inſcriptio in ſupplicatione ad obtinendam Româ diſpenſationem pro foro interno non fiat Papæ, ſed ſummo Pœnitentiario (qui eſt unus ex Cardinalibus S. R. E.)

Porro litteræ diſpenſationis, â S. Pœnitentiaria mittuntur clauſæ, quarum inſcriptio ad extra *ordinariè* ità ſanat: *Diſcreto viro Confeſſori Magiſtro in Theologia, vel decretorum Doctori ex approbatis ab Ordinario;* quia ordinariè ſeu regulariter loquendo Pœnitentiaria ſolet committere executionem Viro tribus præfatis qualitatibus ornato. Quod ſi verò dicta Pœnitentiaria commiſſionem, & inſcriptionem aliter, & ità faciat; *Diſcreto viro Confeſſori ex approbatis ab Ordinario,* poterit quivis approbatus ab Ordinario illas

exe-

Digitized by Google

exequi etiamſi Laurea doctorali in effectu, & reipſa inſignitus non ſit.

Hinc ſi in loco, ubi Orator exiſtit, facilè haberi non poſſit Doctor in Theologia, aut Jure Canonico, id etiam addere poterit Sollicitator, & rogare, ut alii committatur diſpenſationis executio v. g. *& quia in Oratoris loco nullus reperitur Confeſſarius in Theologia Magiſter, vel Canonum Doctor, vel alius ad exequendum privilegiatus, dignetur Eminentia providere, & diſponere, ut etiam alius exequi valeat.*

Requiritur tamen, ad valorem diſpenſationis ut quis ab Oratore, pro quo diſpenſationis litteræ ſunt emanatæ, ad exequendum ſit ſpecialiter electus, cui pœnitens ante executionem priùs ſacramentaliter confiteri debet, etiamſi jam priùs alteri fuiſſet Confeſſus, & ab inceſtu, aliisque peccatis abſolutus, de facto nullum in Conſcientia habeat peccatum mortale; quia clauſula reſcripti, ſeu diſpenſationis (uti apponi ſolet) per modum conditionis, requirit, *ut ipſe Confeſſarius ad exequendum electus*, priùs in ordine ad exequendas litteras Pœnitentiariæ, audiat Confeſſionem; conſequenter inevitabiliter tanquam forma ad volorem requiſita ſervari debet; poteſt enim eccleſia

ad

Digitized by Google

ad confitenda etiam peccata venialia obligare conditionatè, & dicere; *Quicunque indiſtinctè vult particeps eſſe hujus vel illius ſpecialis gratiæ & favoris, priùs confiteatur ſacramentaliter*; ut fit expreſsè in caſu noſtro. Cæterùm Lector chariſſime, cùm hic agatur de valore ſacramenti, qui à valore diſpenſationis dependet, executori (ſi minùs ſapiens dico) incumbit quàm maximè clauſulas diſpenſationis litteris inſertas, juxta earundem tenorem, & in quantum ſonat, ſolicitè, attentè, & amuſſatim perpendere, easque ſic perpenſas ſtudiosè exequi.

Et hæc de praxi procurandi diſpenſationem apud ſummum Pontificem Romæ ejusque Curiam, tam pro foro externo, quam ſolo interno, pauca ſufficiant. Jam ad praxim procurandi diſpenſationem apud Epiſcopos (præſertim germaniæ) me converto. Pro cujus facili captu *ſciendum*, illum qui pro foro externo diſpenſationem ſuper publico matrimonii impedimento apud Epiſcopum procurat, ante omnia curare debet ſequentia; an ſuper impedimento, ſuper quo diſpenſatio venit ſolicitanda diſpenſare valeat Epiſcopus de *Jure Communi*, vel *ſpeciali facultate*, & quaſi *privilegio*. De quibus vide dicta ſuprà in hac appendice.

Item,

Item, ſi deſideretur diſpenſatio ſuper impedimento Conſanguinitatis vel Affinitatis; an Oratores, reverà ſint pauperes; quia ſuper hoc impedimento non nisi cùm ſolis pauperibus diſpenſare valet Epiſcopus. Patet ex dictis. Item examinare debet cauſam diſpenſandi, an juſta ſit, an non? Interim quævis cauſa, ex qua diſpenſare poteſt, & ſolet Papa, ſufficit Epiſcopo ad diſpenſandum pro foro externo, pro quo neceſſariò in ſupplicatione exprimi debent, quæ exprimenda dixi in ſupplicatione ad obtinendam diſpenſationem pro foro externo apud Curiam Romanam; videlicet: Oratorum Nomen: Cognomen: Diœceſin, & etiam eorundem Parochiam, &c. ratio ultimi eſt: quia ſicut Papa Epiſcopis, ità Epiſcopi ſolent non nunquam Oratorum Parocho committere, vel ipſam diſpenſationem, vel ſaltem capiendam informationem ſuper expoſitis.

His obſervatis ſupplicationem ad Epiſcopum ità ſtyliformem forma:

Re-

Reverendiſſime, ac Celſiſſime S. R. J. Princeps,

Domine, Domine Clementiſſime,

EXponuntur humillimè Celſitudini Veſtræ pro parte devotorum illius Oratorum Stephani N. Laici, & Annæ N. Diœceſis Paſſavienſis, Parochiæ Crembſenſis, quod, cum dicta Oratrix dotem habeat minùs competentem juxta Statûs ſui conditionem, cum qua virum ſibi non conſanguineum, vel affinem paris conditionis cui nubere poſſit, invenire nequeat, & dictus Orator cum dicta minùs competente dote Oratricem in uxorem ducere intendat; cupiunt Oratores præfati invicem matrimonialiter copulari; ſed quia tertio, & quarto à communi ſtipite provenientibus gradibus invicem conjuncti ſunt, deſiderium ſuum hac in parte adimplere non poſſunt absque diſpenſatione; Quoniam verè ſciunt, Celſitudinem ſuam gaudere ſpeciali per ſedem Apoſtolicam conceſſa facultate diſpenſandi cum pauperibus (quales Oratores revera ſunt) in tertio & quarto gradu, ſupplicant humillimè quatenus cum eisdem Oratoribus, quod impedimento quarti conſanguinitatis gradûs hujusmodi non obſtante, matrimonium inter ſe publicè ſervatâ formâ Concilii Trid. contrahere, illudque in facie

facie eccleſiæ ſolennizare, & in eo poſtmodum remanere liberè, & licitè valeant, diſpenſare; diſtantiam verò tertii gradûs non obſtare, declarare dignetur de ſpeciali gratia. Non obſtantibus præmiſſis, & conſtitutionibus, ac Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuscunque.

In qua ſupplicatione pro foro externo vides eundem modum, & formam, quæ adhibetur, dum Papæ ſupplicatur; non poteſt enim non eſſe bonus, & ſecurus modus, quem Romana curia continuò ſervat, & approbat. Et hinc conformiter poteſt etiam quævis alia fieri ſupplicatio, mutatis mutandis pro cauſarum nempe, & Impedimentorum diverſitate.

Dixi notanter *in qua ſupplicatione pro foro externo*, quia ad concipiendam ſupplicationem ad Epiſcopum pro obtinenda diſpenſatione in ordine ad *forum internum* nulla certa eſt forma, dummodo neceſſariò exprimenda ritè veridicè, & reverentialiter proponantur, teſte curiarum Epiſcopalium praxi. Nihilominus optimè & ſecuriſſimè faciunt ſollicitantes, ſi utantur modo & forma apud S. Pœnitentiariam recepta, juxta formulam ſuprà allegatam; ità tamen, ut exprimenda ità exprimant, quatenus ex il-

lis

ſis clarè intelligat Epiſcopus concurrere in Caſu quatuor conditiones neceſſariò requiſitas (de quibus ſuperiùs fusè) ad hoc, ut Epiſcopus pro foro interno valeat diſpenſare. Poteſt autem Epiſcopus concurrentibus dictis conditionibus pro ſolo foro interno diſpenſare ſuper quovis impedimento, ſuper quo etiam absque his conditionibus diſpenſare poteſt, & ſolet Sac. Pœnitentiaria; de qua ſuprà. Interim majoris facilitatis gratiâ ſit ſequens ordinaria

Formula Supplicationis pro obtinenda diſpenſatione apud Epiſcopum ſuper impedimento occulto affinitatis pro ſolo foro interno.

Reverendiſſime, ac Celſiſſime S. R. I. Princeps,

Domine, Domine Clementiſſime.

E*xponitur humillimè Celſitudini Veſtræ, quòd Seja* (additur fictum nomen) *Diœceſis Paſſavienſis* (additur nomen Diœceſis, quia cum Oratore alterius Diœceſis Epiſcopus diſpenſare nequit; non item additur nomen Parochiæ, ut crimen omni poſſibili

Digitized by Google

bili modo maneat occultum, pro ratione fori interni, pro quo ſolo hìc petitur diſpenſatio) *ignara impedimenti, in facie Eccleſiæ, & præmiſſis denuntiationibus bona fide contraxit matrimonium cum Titio, à cujus Fratre* (vel filio) *prius carnaliter fuit cognita. Quare cùm absque ſcandalo ſeparari non poſſint, & donec diſpenſatio Româ adveniat, periculum incontinentiæ, aut gravis diffamationis interveniat, putativo marito impedimenti inſcio, ſupplicat humillimè ſuper hoc impedimento, quod eſt penitùs occultum, pro opportuno diſpenſationis remedio.*

Sic pariter in aliis caſibus, mutatis mutandis aliæ formari poſſunt Supplicationes. Pro valde extraordinario tamen caſu, in quo Epiſcopi diſpenſare poſſunt ante matrimonium pro foro ſcilicet interno ſit ſequens:

Reverendiſſime &c.

EXponitur humiliter Celſitudini Veſtræ, quòd Titius Diœceſis Paſſavienſis, poſtquam Cajam carnaliter cognovit, ignarus impedimenti, contraxit Sponſalia de futuro cum Cajæ Sorore, & ad nuptias publicè celebrandas jam determinavit diem, convivium indixit, veſtes nuptiales, cunctaque alia præparavit, hoſpitibus jamjam pluribus invitatis. Quare, cùm impedimen-

tum

tum ſit penitus occultum, & donec diſpenſatio Romà adveniat, nuptiæ absque diffamationis ex variis ſuſpicionibus proveniente periculo differri nequeant, ſupplicat humillime Celſitudini Veſtræ pro Clementiſſimo diſpenſationis remedio.

Hæc eſt Formula Diſpenſationis pro Caſu valde extraordinario, in quo etiam ante matrimonium contractum, præſente urgentiſſima neceſſitate Epiſcopum diſpenſare poſſe docent Sanch. Baſilius Pontius, Boſco, Barboſa, Gobat, Palav. Reginaldus, Bonacina, Perez, Diana, Tambur. Dicaſtillo, Hurtado & alii. Quia rationes pro diſpenſatione poſt matrimonium, militant etiam pro diſpenſatione ante matrimonium in urgentiſſimo Caſu, quem exprimit præfata diſpenſationis formula, ut conſideranti patet.

Cæterum ſpecialiter hic obſervandum, quod non Epiſcopus ipſemet diſpenſet, ſed Mandatum ſeu Commiſſionem diſpenſandi Confeſſario alicui vel Parocho, qui ſcribit pro pœnitente & diſpenſationem procurat, dare debeat, ut diſpenſet, ſi preces veritate niti prius repererit juxta clauſulas litteris diſpenſationis Epiſcopalis inſertas. Ratio; quia hoc ipſo, quod impedimentum occultum ſit, & diſpenſatio pro ſolo foro interno ſollicitetur, etiam pœnitens Orator occul-

Digitized by Google

tus manere debet, nec ad Epiſcopum, vel ejus curiam in perſona venire, nec alibi quam in Confeſſionali ſe prodere poteſt: Confeſſarius autem quiscunque litteras illas diſpenſationis aperire non poteſt, nisì ad id à pœnitente ſpecialiter eligatur; Unde debet illas clauſas conſignare Oràtrici, vel Oratori, eundemque inſtruere, eſſe modo in poteſtate & arbitrio illius, qualem Confeſſarium pro executione eligere velit. Executor autem Litterarum Diſpenſationis Epiſcopalis pro ſolo foro interno debet eodem modo, quo Executor Litterarum Diſpenſationis à Sac. Pœnitentiaria emanatorum, in executione ſe habere, atque Clauſulas in Litteris Diſpenſationis Epiſcopalis ſpecialiter opponi ſolitas, obſervare, præſertim circa quatuor ſuprà fusè declaratas conditiones. Ratio eſt; quia cum una illarum deficiente Epiſcopus diſpenſare non valeat, Litteræ executioni mandari minimè poſſunt, ſi reperiatur unam illorum non adeſſe, excepto Caſu extraordinàrio quoad conditionem de matrimonio jam contracto. De quo ſonat data Formula mox ſuprà. Ex his pro Clauſula reſolvendus ſit ſequens

CA-

CASUS.

Conradus Princeps è ſua Familia ultimus in Linea Catholica, futurus olim ingentium bonorum Hæres, & Succeſſor, nè ſi fortè contingeret ipſum fatis concedere improlem, integræ Provinciæ devolverentur ad Agnatos heterodoxos cum periculo Religionis, Iſabellam è Principe pariter Sanguine prognatam Uxorem duxit contractô publicè matrimoniô in facie Eccleſiæ, quod novi Conjuges deinceps etiam bona fide conſumârunt. At poſtquam aliquot ſeptimanis cohabitârunt, præter ſpem omnium adeſt, qui ex Familiæ utriusque Genealogia oſtendit quarto Conſanguinitatis gradu ipſos eſſe conjunctos. Impedimentum hoc, cujus penitus ignari fuerant, & de eo necquidem ſuſpicati, quàm primùm intellexerunt, ſtatim à communi thoro, & conjugali commercio abſtinuerunt, donec obtineretur diſpenſatio. Quæritur ergo nunc, an diſpenſatio neceſſariò Româ peti debuerit, an verò potuerit in iſto impedimento diſpenſare Epiſcopus? & reſolvendo

Dico: Epiſcopum potuiſſe in hoc impedimento diſpenſare.

Ratio: Quia in Caſu iſto reperiuntur omnes circumſtantiæ, ob quas ex præſumpta, & tacita approbatione Pontificis lici-

 tum

quævis mora longior poteſt eſſe periculoſa. Quid, ſi modò ardentiùs effervefcat in id, quod tantò tempore ipſi negatur? magìs profecto in vetitum plerumque nitimur, & ipſa prohibitio deſiderium acuit. Quid ſi, quia Uxor non conceditur, ignem intemperantem illicitis modis extinguat, vel etiam renuentis Conjugis faſtidium capiat? nam facile eſt, ut amor ad extrema delabatur. Quanta verò incommoda hinc exoriri poterunt in utraque Familia! quæ damna, ſi forſan inde eveniat, ut etiam prole deſtituantur, atque ſic integræ Provinciæ deveniant ad Acatholicos Hæredes: Adſunt ergo rationes ſufficientes, ob quas diſpenſare Ordinarius meritò poſſit.

Nec iterum dicas, hoc impedimentum non eſſe *occultum;* quia ùt Caſus refert, præter ſpem omnium adeſt, *qui ex Familiæ utriusque Genealogia oſtendit quarto Conſanguinitatis Gradu ipſos conjunctos.* Ex quo ſic: *Occultum* eſt id, quod ità latet, ut probari nequeat: atqui impedimentum hoc non ità latet, ut probari nequeat: ergo non eſt *occultum*: ergo non eſt diſpenſabile ab Epiſcopo. ℟. Me non negare hoc eſſe occultum, quod Tu dicis; aſt nego tantum rigorem exigi ab Authoribus in noſtra Quæſtione, ut impe-

Digitized by Google

dimentum occultum eſſe cenſeatur. En! præter ſuperiùs citatos DD. teſtem do Italum Romanum Marcum Paulum Leonem in praxi ad Litteras, & Bullas majoris Pœnitentiarii p. 2. c. 1. n. 60. ubi, *occultum* (inquit) *eſt illud, quod à nemine, vel à tam paucis ſcitur, quod neque ſit famoſum, neque manifeſtum.* Ergo (infero ego) in præſenti non id duntaxat occultum eſt, quod probari non poteſt, ſed quod publicitate caret, ùt ait Author l. c. Cùm ergo de hoc impedimento præter paucos è Domeſticis, & eos, quibus id dictum eſt Conſilii petendi causâ, à quibus proinde nullum divulgationis periculum eſt, non nisì uni, vel alteri perſonæ conſtet, in quibus nullum pariter periculum eſt, quòd ejus notitia per illos emanatura ſit in vulgus, quis neget impedimentum occultum eſſe? atque ideo nihil planè eſt, quod morari poſſit Ordinarium in concedenda diſpenſatione.

Nec denuò dicas: De hoc impedimento facilè conſtare poſſe, periculúmque eſſe, ut detegatur in foro externo? quia inveniri poteſt in libris, qui Tabulas Genealogicas exhibent: ergò occultum non eſt, cùm Sanchez quoque ſuprà allegatus requirat, *ut non facilè conſtare poſſit, periculúmque non ſit, ut in foro*

foro externo detegatur. ℟. Etiam ex hoc capite detectionis nullum adeſſe periculum; quia ipſi Parentes, & Agnati utriusque Familiæ nec ſuſpicati quidem ſunt de ullo impedimento, cùm tamen teſtetur experientia, Familiarum Nobilium nè dicam Principum, primum ſtudium eſſe, ut accuratè nôrint, quæ, & cum quibus vel Conſanguinitas, vel Affinitas ipſis intercedat.

Et hæc eſt Amice Lector! impedimentorum Matrimonii dirimentium ſeriei ex oppoſito appendia materies, quam è probatorum, & approbatorum Authorum voluminibus, nè de veritate ambigendi locus ſit, quô potui compendiô, ſtudiosè collegi, collectam concinnavi, ut, ſi aliàs grandium nôris tomorum & voluminum quàm ſit tibi curta ſupellex, hunc quaſi tomulum foris & domi ad manus facilè habeas, volvas, & revolvas.

Vale!

(†)

Digitized by Google

SCHOLA METRO-POLEMICA.

AN DEUS? exiſtit: quod cum ratione probatur:
Abs ratione DEum, cur Atheiſta negas;
Eſt naturâ unus, naturæ lumine notus:
Ergo cur dicit *GNOSTICUS*, eſſe duos?
Corporis eſt expers: *AUDÆE*! quid Hæreſis affers?
Cùm te corporeum fingis habere DEum:
Nempe, quia in craſſo demerſus corpore craſſo
Obductus ſenſu, non niſi craſſa vides.
Nemo poteſt, *ANOMÆE*! DEum comprêndere, nì ſit
Ipſe DEus: cur hunc prêndere fingis homo?
Stulta *SECUNDINI* mens eſt, immobile Numen
Mobile dum eenſet: ſiccinè Luna DEus?
Omni-

Omnibus eſt præſens, nec longè diſtat ab ullo,
Contra *PHOTINUM*, Pagina ſacra docet.
Eſt etiam Trinus, fidei certiſſima res eſt:
Ergo, *SABELLI*! dic, cur tibi Trinus abeſt?
Succumbat ratio fidei: captiva quieſcat:
Sic captanda quies: ſic capienda ſalus.
Quid mentiris *ARI*! *VERBUM* cur eſſe creatum
Aſſeris? occidens littera te docuit.
Hæc *MACEDONI*! te quoque littera morte peremit,
Dum tibi non DEUS eſt, ſpiritus ille DEI;
Quem Pater & Verbum ſpirant, hunc *GRÆCIA* tantùm
A Patre ſpirari, non niſi Schiſma docet.
Sed *GANZELE*! ſcelus quantum! blaſphemia quanta!
Dicis: mentiri, fallere poſſe DEUM.
Cur credis, qui jam venit, *JUDÆE* futurum?
Toti crede orbi, qui tibi ſceptra negat.
Libertine rapax, cur dicere laxior audes?
Quòd quævis ſalvum reddere ſecta queat?
Falleris! & nimiùm cœleſtia limina laxas:
Arcta via ad Superos: hæc via vera fides.

Hæc

Hæc eſt vera fides, quam ſola Eccleſia ſervat
Romana, extra quam non valet eſſe ſalus.
Hæc eſt per totum diſſuſa Eccleſia mundum:
DONATISTARUM ſic quoque Schiſma ruit.
Nec de ſola poteſt vel littera reddere ſalvum:
Veræ Scripturæ dic genus? unde domo?
Ecce! Canon nullus: nec ſenſus: verſio nulla:
Non mirare ergò, quod tria verba negant.
Hæc tria verba negant tibi *VERBUM*, crede Novator
SCRIPTUM: cur? cauſa eſt; traditione cares.
Credere cur non vis, quod Sancta Eccleſia dicit?
Regula num tua ſit, Spiritus ille tuus?
Spiritus ille tuus mendax, falláxque doloſus,
Deviat huc, illuc: ducit ad atra ſtygis.
Non eſt Romanis vitioſus circulus unquam:
Eſt potiùs ſectæ circulus ille tuæ.
Quòd tua non capiat reprobos Eccleſia: miror:
Aſt quid mirandum? cùm neque te capiat.

Nul-

Nullius fidei per te peccator habetur:
Ergò fides *LUTHER*, quæ tibi Sacrilege?
Per partes prodis, tua quantum Eccleſia monſtrum
Nempe: inviſibilis, viſibiliſque ſimul.
Dico: eſt viſibilis ſolùm, una Eccleſia Sancta:
Quæ non deficiet, nec data porta ruet.
Hujus Sancta audi: certiſſima Dogmata crede:
Non errare poteſt, quam DEUS ipſe regit.
Perfide! cur ſpernis *PAPAM?* cui ſumma Poteſtas:
Succeſſor Petri eſt: num tibi Petrus abeſt?
Si tibi Petrus abeſt; quis claudit? quisve recludit?
Dic: ubi ſit portæ clavis amica tuæ?
Ergo fide credas, quòd ſit Succeſſor in ORBE;
Qui claves Petri claviger alter habet.
Crede fide, quòd ſit Petri Succeſſor in URBE,
Continuò Chriſti, qui vice paſcit oves.
Iſte errare nequit, ſed certa oracula pandit,
Dum paſtorali fungitur officio.
Is quoque non errat, dum quoſdam, Numine certus,
Defunctos Sanctis, annumerare ſolet.

Ergo

Digitized by Google

Præterea, quòd ſit *PURGANS* Eccleſia, crede:
Hanc niſi crediderìs, quis tibi cenſus erit?
Talis erit cenſus, ſicut ſuffragia præſtas:
Horum nîl præſtas: quid tibi? pœna manet.
Pœna manet, quis enim poterit præſtare levamen?
Nîl Sancti (dicis) nîlque MARIA juvant.
Hæc non ſunt nugæ, ſed ſunt certiſſima, crede:
Væ tibi, nî credas: ibis Homere foras.
Ibis Homere foras, nunquam admittendus in aulam
Cœleſtis Patriæ, ſed ſine fine lues.

PRO-

Digitized by Google

PROBLEMATA.

I.

An Cathechumeni ſint de corpore Eccleſiæ?

II.

An Schiſmatici ſint de corpore Eccleſiæ?

III.

An Excommunicati fideles ſint de corpore Eccleſiæ?

IV.

An Hæretici interni ſint de corpore Eccleſiæ?

Digitized by Google